DECRETA SYNODALIA ECCLESIAE POLITIANAE

Edita, & promulgata Politiani
ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Dom.
TALENTO TALENTO EPISC.PO
in Synodo habita die VIII. & IX. Septemb. 1642.
Et confirmata in alia Synodo habita sub die 4. Octob. 1649.








SENIS, Apud Bonettos, Typis Publicis 1650.

Superiorum permissu.



TALENTUS TALENTUS Dei, & Apost. Sedis Gratia S. Ecclesiæ Politianæ Episcopus.

Dilectissimis in Christo Fratribus, & Filijs, Dignitatibus, Canonicis, & Capitulo; Vniuerso Clero, & Populo Ciuitatis, & Diœcesis Politianæ Salutem, Vnitatem, & Pacem.

NONNVLLA quæ, Ciuitate, & Diœcesi perlustratis, pro morum, atque Ecclesiarum reformatione, & diuini cultus incremento, ad Sacrorum Canonum, Sacri Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum Constitutionum præscriptum, decreuimus, in prima, & secunda nostra Synodo promulgata, typis excudenda, & in lucem edenda curauimus; quò facilius præ manibus omnium habeantur, habita perlegantur, & perlecta denique ad maiorem Dei laudem, & gloriam, ipso auxiliante, opere compleantur. Quæ ergo de comuni salute solliciti vobis offerimus, corde magno, & animo volenti accipiatis rogo, seruetis, & faciatis: & Deus omnium exauditor repleat vos omni gaudio, & pace. Amen.

A 2 De



VM Prælatorum sollicitudo in ijs rebus maximè versari debeat, quæ ad integrè, & inuiolatè tuendam fidem catholicam, quam S. R. E. Mater omnium Ecclesiarum, & veritatis magistra tenet, & docet; & sine qua impossibile est placere Deo.

Nos, decret.s Sacrosancti Concilij Tridentini, & Constitutionibus Summorum Pontificum inhærendo decernimus.

Vt imposterum (seruata formula Pij Quarti Fæl. record. infrascripti omnes in manibus nostris, siue nostri Vicarij generalis publicam Orthodoxæ fidei professionem faciant.

Prouisi videlicet de beneficijs curam Animarum habentibus intra duos menses à die adeptè possessionis ad minus.

Prouisi etiam de Dignitatibus, & Canonicatibus in Ecclesia Cathedrali, etiam in Capitulo, eamdem fidei professionem emittere teneantur.

Insuper Confessarij omnes, Verbi Dei concionatores, quiuè sacram Theologiam, Ius Canonicum, aut Ciuile, Artem medicam, Philosophiam, aut quascumque artes ingenuas, ac litterarias, Aritmeticam, Geometriam, & Musicam, quouis modo publicè, aut priuatè docebunt: Medici insuper, & Chirurgi artem exercentes: Ante quam ad confitendum, concionandum, legendum, docendum, & medendum, agrediantur; & alij, qui de Iure seu consuetudine eam facere tenentur. Quam si quis non emiserit, pœnā in dictis Decretis, & Constitutionionibus appositam, incurrent; & vbi non est apposita pœna, Arbitrio nostro puniendur; & allegantes, se professionem fecisse, intra mensem ab huius decreti publicatione, coram Vicario generali docere teneantur.

Decreuimus autem, vt huius fidei professiones à personis (vt supra) emissæ, ab Episcopalis Curiæ Cancellario, vna cum subscriptione ipsius profitentis, apponantur in peculiari libro ad hoc comparando, & in Archiuio Episcopali asseruando, ac etiam in calce Bullarum.

Medici, & Chirurgi insuper iurent, se seruaturos constitutionem Pij V. fæl. record. ne post triduum accedant ad infirmos, nec eos curent, nisi prius infirmi peccata confessione sacramentali diluere studuerint.

De

CONcionatores, siuè Seculares, siuè Regulares, nec ad concionandum, nec ad sacramenta administranda admittantur, nisi prius personaliter accedant ad Nos, siuè nostrum Vicarium generalem ad petendam benedictionem, si in Ecclesia suorum Ordinum erunt concionaturi, in alijs verò benedictionem, & licentiam. Quamobrem mandamus, vt nullus Parochus in sua Parochia, vel eius finibus aliquem concionari permittat, non exhibita sibi prius legitima facultate concionandi à Nobis in scriptis obtenta.

Curabunt insuper Parochi, alijque, quorum interest, vt Prædicatores cum omni charitate, & obsequio recipiantur, eisque iuxtà loci consuetudinem, de necessarijs prouideatur.

Et ipsi Prædicatores ab omni turpis lucri suspicione in elæmosinis quæstuandis, se alienos, ac in omnibus sicut Dei ministros, se ipsos exhibeant. Elæmosinarum nihil sibi retinendo, sed omnes in pauperes Christi, pro quibus recolliguntur, erogando.

Passionem D.N.I. Christi in maiori hebdomada nec ante solis ortum, vel post occasum prædicent: in quo etiam nihil faciant, & dicant, etiam ad lacrimas eliciendas, quod à Christiana disciplina aliquo modo abhorreat.

Parochi, alijque animarum Rectores in Dominicis diebus, & Festiuis de præcepto, Euangelium Christi explicent, non erubescentes intra Missarum solemnia, pro vt sibi Dominus tribuit, qui solet dare verbum Euangelizantibus virtute multa, plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo eas, quæ scire omnibus necessaria sunt ad præscriptum Sacri Conc. Trid. & Cathechismi Romani, sub pæna Arbitrio nostro inferenda.

Id autem concionandi munus per se habeat Parochus, aut si legitimo impedimento (ab Ordinario cognito) nequeat, alterius, qui tamen ab Episcopo ante probetur, operam adhibeat, quod si alius non adsit idoneus, saltem selectam ex probato Authore, breuem Homiliam comuni idiomate cōpositam legat, aut articulos Symboli, aut præcepta Decalogi, aut Sacramenta Ecclesiæ ex Cathechismo, explicet: quod si in his exequendis negligens fuerit, pro qualibet vice omissionis, puniatur pæna vnius aurei, locis pijs applicanda; crescente vero contumacia pænis grauioribus mulctetur.

Aduer-

Aduertant etiam omnes Concionatores, quò ad lectiones, & conciones, quas ad Populum habuerint, debere se conformare Euangelijs, & Epistolis, quibus Clerus secularis vtitur illis diebus, in quibus ipsi concionabuntur.

Expleto quadragesimali tempore, quasi villicationis suæ rationem reddituri, se coram nobis, vel nostro Vicario generali præsentent, relaturi quomodo vita, & subditorum mores se habeant; si quis sit, cui pro Dei honore, & animarum salute, sit consulendum: quòd si quis negligens fuerit in se præsentando, iusta cessante causa, vlterius ad prædicationem in dicta Diœcesi, non admittatur, & moneantur Superiores suæ Religionis, vt decenti pœna eum puniant.

Verbum Dei prædicandi munus proprium quidem Episcopi est, cui cura pascendi greges mandata reperitur; sed quia legitimis occupationibus impeditus, alteri suas partes delegare solet; propterea quicumque Verbum Dei prædicare intendit, non ab alio, quam ab Episcopo, cuius ille vices, munusque subit, eligi debet; Et ideo Vniuersitates, ac homines alicuius loci, qui ius ad eligendum, nominandumque Concionatorem ex prætensa consuetudine, seù alio priuilegio habent; per totum mensem Decembris nedum nominare, & eligere debeant; Verum etiam nominatos, & electos Episcopo præsentare; quòd si infra præfatum tempus id minimè præstiterint, vel Concionatores ad conciones componendas pro loci, & personarum qualitate, & vtilitate minus aptos præsentauerint, pro illo anno suo Iure priuentur; & alij, arbitrio eiusdem Episcopi, magis idonei eligantur.

De Doctrina Christiana. Cap. 3.

PArochi omnes per se ipsos Dominicis diebus in sua Ecclesia initia fidei post prandium pueris, & puellis tradant, in Dei timore erudiant, ac debitam parentibus obedientiam, & reuerentiam præstare doceant.

Pulsetur Campana post prandium ad conuocandos dictos pueros, & puellas.

Dicta initia per horam saltem edoceantur, & fiant disputationes inter eos, qui alliciantur etiam munusculis propositis, & distributis de more ad conueniendum.

Fiant indices puerorum, & puellarum accedentium ad dictam Do-

ctrinam,

ctrinam, illique legantur quolibet die Dominico, vt innotescant contumaces, dum dicta Doctrina traditur.

Concionatores, & Parochi moneant Parentes, vt suos filios ad Ecclesiam mittant, & impellant, vt possint fidei instrui rudimentis; sic etiam Domini famulos.

Ludi magistri edoceant in Scholis pueros dicta rudimenta, & diebus Dominicis tempore præscripto curent, vt accedant ad Ecclesiam, & non accedentes castigent.

Nullus admittatur ad leuandum aliquem à Sacro Fonte Baptismatis, vel ad tenendum in confirmatione, neque ad contrahendum Matrimonia, nisi calleat doctrinæ Christianæ necessaria.

Clerici omnes intersint dictæ doctrinæ, & edoceant, sub pœna non promotionis ad alios ordines.

Adulti dociles, & dicta rudimenta ignorantes, nec scire curantes, non absoluantur à Confessarijs sine nostra licentia.

Eligantur duo laici homines ætate, & morum probitate graues, qui onus adducendi pueros ad Ecclesiam suscipiant: nec non eligantur duæ mulieres maturæ ætatis, & morum integritate claræ, quæ puellas adducant, easque exerceant in Doctrinæ Christianæ præceptis.

Erigatur quam primum, si non est erecta, Societas Doctrinæ Christianæ, & piorum hominum, qui Parochum in hoc munere coadiuuent.

Parochus nullum admittat ad dictam sodalitatem, qui non fecerit professionem fidei in manibus suis, & publicet Indulgentias (bis in anno) concessas dictæ Sodalitati, ac per Concionatores publicari curet.

Diebus Dominicis quilibet Parochus Diæcesis recitet, antequam Missam inchoet, vulgari lingua Pater, Aue, & Credo, & decem Decalogi præcepta; & Populus repetet eadem verba.

Vt vero Parochi munus hoc à Sacro Concilio Tridentino commendatum, & iniunctum, omni, qua decet diligentia adimpleant, & exequantur; præcipimus vt in posterum accedant ad singulas domos, & in tabella ascribant omnes tam Mares, quam fœminas suæ Parochiæ, tum minores, tum grandiores natu, quibus opus est christianam Doctrinam addiscere; Nomina item, & cognomina Parentum, eamque tabellam postea in Ecclesia affigant, ad hoc, vt possint arguere eos, qui accedere recusant; & Parentes filios suos adducere, vel mittere negligentes Iuris remedijs,

& pœnis, arbitrio Nostro punire.
Insuper Parochi moneant fideles teneri scire necessaria ad salutem; nempè sanctissimæ Crucis signum, & misterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationem D. N. I. C. Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam; Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, & septem Ecclesiæ Sacramenta, ac tres Theologicas virtutes. Et si quis adultus sua culpa, post sex menses, hæc ignorauerit; Is nulla ratione ad confessiones, & alia Ecclesiæ Sacramenta admittatur, nisi in articulo, & periculo mortis, nec aliquem è sacro Fonte suscipere possit.
Quod si quis Parochus, aut Sacramentorum administrator aliquem horum absoluat, ad Sacramenta admittat, & sinat esse Patrinum; Is à confessionibus audiendis per tres menses sit suspensus.
Parochi etiam, & alij, quibus cura animarum incumbit, omittentes in diebus saltem Dominicis, conuocare pueros, & docere Doctrinam Christianam pro prima, secunda, & tertia vice pœnam vnius Aurei pro qualibet vice incurrant; postea verò eamdem pœnam suspensionis trium mensium ipso facto nobis reseruatam; Quod si in Visitatione reperterimus aliquem Adultum nescire necessaria ad salutem, in Parochos eusdem grauiori pœna animaduertemus.

De Ludimagistris. Cap. 4.

Ludilitterarij professores curent de seruando Sac. Conc. Lateranen. sessione nona sub Leone X. sub pœna priuationis officij ipso facto, de docendo pueros, & adolescentes ea, quæ ad Religionem, & Christianos mores sunt necessaria; de hortando, instituendo, atque cogendo illos (in quantum poterunt) vt intersint, saltem in diebus festis, Sacrificio Missæ, Doctrinæ Christianæ, Verbi Dei prædicationi, & de non legendo eis libros, quorum lectio, morum puritatem, & christianæ fidei, & puritatis candorem labefactare possit. Et qualibet die in initio scolæ, & in fine recitari faciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Salue Regina. Scientes si in prædictis deliquerint, vel negligentes fuerint, se Deo seuerè rationem reddituros, & à Nobis remouendos à Sacramentorum perceptione.

De

De Reliquijs Sanctorum Cap. 5.

Reliquie, Sanctorum, quæ veluti diuinæ gratiæ receptacula, & Christi membra fuere; ea, qua conuenit, decentia condantur, atq; seruentur in locis honestissimis, & vasculis argenteis, vel aliàs honorifice fabricatis.

Fenestella, in qua asseruantur, sit intus circum circà, contexta panno serico rubei coloris, & propè eam appendatur tabella decens cum indice illarum.

Præfatæ Reliquiæ tegantur velis sericis colorum respondentium Sanctorum Ordinibus, & singulis adijciatur inscriptio in carta pergamena exarata.

A Laicis non circumferantur, nec tangantur.

Honorificè Populo exponantur, & cum Luminibus.

Ante insignes Reliquias perpetuò lampas ardeat; saltem diebus solemnibus, ac die festo ipsius Ecclesiæ titularis.

Nullas vero Sanctorum Reliquias (pro certis) Populo venerandas proponi liceat, nisi à Nobis fuerint approbatæ, nec etiam absquè scripta facultate amoueantur, siuè de vno ad alium locum asportentur.

Illæ autem Reliquiæ, quæ nomine carent, & certitudinem autheticam non habent, in Armario asseruentur, sed non exponantur.

De Sacris Jmmaginibus. Cap. 6.

Ne in sacris Imaginibus depingendis aliquid falsum, seù præposterum, aut indecorum adhibeatur; De cætero in Ecclesijs nulla statua, vel imago ponatur, vel poni permittatur, nisi prius probata fuerit à Nobis, seu Nostro Vicario Generali.

Imagines autem Sanctorum non pingantur, nisi honestè, & deuotè ad excitandam pietatem fidelium, nec pingantur historicæ, apochriphæ, & vanæ.

Crux, aut Imagines Sanctorum in Ecclesijs collocandæ solemni prius Ecclesiæ ritu, benedicantur.

Crux non exprimatur humi, nec in parietibus ad effectum impediendi immunditias; nec habeantur imagines Sanctorum pro lignis Cauponarum, seu tabernarum.

Nec exornentur Ecclesiæ intus, nec extra prophanis Imaginibus virorum, & mulierum, nec in ijs apponantur tempore proces-

fionum, præsertim solemnium sine Nostra, vel Vicarij licentia generalis.

Parochi diligenter inspiciant Imagines, quæ venales circumferuntur, Cruces, quæ fiunt ex candelis, & applicantur ianuis Ciuitatis, tam altè apponantur, vt amoueri facilè non possint, & non amoueãtur sub pæna 25. scutorum, & in subsidium excomunicationis.

De Sacrosanctis Ecclesijs Cap 7.

ORatoria ad Missas celebrandas, multoq; minus Ecclesias denuo ædificare, seù diruta restaurare, nemo etiam Regularis quomodolibet exemptus, absquè Nostra facultate præsumat.

Ecclesiæ, Cappellæ, & Oratoria non ædificentur, nec respectiuè erigantur, nisi prius congruè sint dotatæ, quæ dos sit sufficiens ad substentationem commodam Sacerdotis, & Clerici inseruientis, & ad ornatum, luminaria, ac necessaria pro celebratione sacri; & nisi diligenter inspecto prius instrumento dotis assignatæ, & cautionis idoneæ; quæ autem iam sine dote sunt constructæ, compellantur, Ius, prætendentes, ad congruè (infrà sex menses) dotandum.

In Ecclesijs deambulationes, vana, & prophana colloquia prohibentur, sicut & circulos facere, negocijs operam dare, & irreuerenter in ijs versari, præsertim cum diuina celebrantur officia, vel Verbum Dei prædicatur.

Fenestræ omnes saltem tela cerata claudantur ad imbres, ventosq; arcendos, & nè quid aues ingredientes inquinent.

Cappellę, siuè sacrę ædiculæ ex deuotione fidelium in vijs constructę, non tamen ad sacrum peragendum, nullum habeant Altare, ligneisque Cancellis claudantur.

Arma quælibet, præter ensem, & pugionem, nemo deferat intrà Ecclesiam, neque canes, auesque venaticas secum ducant, sub pœna aureorum decem in pios vsus erogandorum.

Sordès propè Ecclesias non proijciantur, nec stabula, & Armentorum tuguria permittantur, aut quidquam aliud, quod, tam sancti loci, Maiestati repugnet.

Ad Ecclesias, vel sacra loca confugientes, Iure diuino, Canonicisq; sanctionibus, decet essetutos, & qvicumque eos indè extrahere violenter præsumunt, in excomunicationem Summo Pontifici reseruatam, incidunt.

Ne autem homines facinorosi ad eam (tanquam Asilum) in sacrarũ Constitutionum fraudem se recipiant, nemo ex Clericis (inconsulto Vicario Generali) aliquem vltrà triduum retineat, sub pœnis arbitrio eiusdem, declarandis.

Propè Ecclesias non ducantur Choreæ, nec fiant ludi etiam liciti, præsertim tempore Diuinorum, & Doctrinæ Christianæ sub pœna scutorum vigintique, locis pijs applicandorum.

Præsertim propè Monasteria Monialium, ne ab illis audiantur verba inhonesta, sub eadem pœna.

Nec propè talia loca habitent meretrices.

Nihil in eis, eorumque atrijs, porticis, scalis, & cæmeterijs, ad cibum, & potum venale habeatur,

Ex domibus Ecclesiæ contiguis non possit haberi vllus aspectus intrà Ecclesiam, & existentes fenestræ, seù foramina, quam primum obturentur.

Ecclesię pauimentum semel saltem in hebdomada emundetur, & parietes, semel in mense à puluere expurgentur, & aranearum telis, ac alijs immunditijs, & reparentur reparanda.

In Ecclesijs, Mendicantes non quærant eleemosinas tempore missarum, ac diuinorum officiorum, sed stent prè foribus.

Cantus Musici in Ecclesia sint pij, diuinis laudibus, ac deuotioni excitandæ accomodati, graues, & modesti, nec adhibeantur prophana cantica, nec cum sacris canticis molles flexiones, aut lasciui, canendi, modi, neque adhibeantur alia verba, quàm sacræ scripturæ, & quæ Ecclesia adhibere solet in Missis, aut officio currenti cuiuscumque diei, & Festi.

Non apponantur in Ecclesijs inscriptiones, & insignia familiarum, inconsulto Episcopo.

De Altaribus Cap. 8.

Altaria noua non erigantur, quibus congrua dos ad eorum cultum non tribuatur. In quibus autem iam erectis (ob dotis tenuitatẽ) nec sacra necessaria suppellectili parari, nec onera possũt adimpleri, Eadem demoliantur, vel saltem interdicantur, vocatis vocandis, & onera existentia in aliud, à nobis designandum, Altare trasferantur.

Altaria quęcunq; minora construenda de nouo, sint lateritia, & ex muro solido, & longitudinis ad minus cubitorum quatuor; lati-

tudinis non vltrà cubitorum duorum; Altitudinis supra planiciem brandellæ cubitorum duorum, & vnciarum octo.

Brandella ipsa sit ex tabulis perpolitis, lata ad minus cubitis duobus, alta vncijs octo, quæ totum Altare circumdet, & à lateribus Altaris (si permittat situs) lata sit vncijs sex decim.

Si quæ Altaria, fornice, vel nicchia non tegantur, vel ità sit alta, quod facilè ab aranearum telis non possit purgari, Vmbella ex tela, vel coriaceo, seu ex tabulis pictis decenter ornata, quæ etiam Sacerdotem celebrantem tegat, cooperiantur, vt ab Altari, & Sacerdote omnis immunditia, & puluis aliena sit.

Vbi commodè aptari non possit Armariolum ligneum pro reponendis vrceolis, construatur fenestella decens in pariete excauata, à cornu Epistolæ, in qua reponantur vrceoli promissæ Sacrificio, quæ alta sit à pauimento cubitis duobus, lata, vncijs sexdecim, & alta vncijs 24. quæ transuersa tabula diuidatur, & à parte inferiori aqua, qua Sacerdos ablutus fuit, proijciatur in fundo cōcauo ad in aptè accomodato.

Clauus ferreus propè fenestellam affigatur, non altius à pauimento, cubitis duobus, in quo appendatur biretum Sacerdotis cælebrantis, quod in Altari nunquam reponatur.

Mensæ Altarium consecratorum tela cerata cooperiantur.

De Altari portatili Cap. 9.

QVæ verò Altaria consecrata non fuerint, vnumquodq; habeat Altare portatile; quod Mensæ Altaris inseratur, illudq; non distet ab extremitate anterioris Altaris vltrà sex vncias, sitq; eleuatum cultri lumbo, vt à Sacerdote tactu cognosci possit.

Sit ipsum Altare gestatorium, ad minus longitudinis vnciarum viginti, latitudinis vnciarum 16. quo à tela cerata tegatur.

De Sacristia Cap. 10.

SInt in Sacristia Armaria plura decentia ad recondenda, & asseruanda omnia suppellectilia pro vsu Ecclesiæ, Missarum, & diuinorum officiorum, quę sint benè disposita, & distributa, atq; cū debita munditie, seruata, & dicta Armaria clausa retineantur cum sera, & claui conseruanda in tutto loco per Sacristam.

Nihil commodetur de dicta Sacristia cuiq; sub quouis prętextu, sine

ne legittima licentia, & tunc de commodatis fiat notula in libro statim.

In dicta Sacristia detineantur infrascriptæ tabellę.

1 Tabella onerum, & anniuersariorum cum die, & loco præscriptis & pro quibus.

2 Alia Tabella Missarum in vnoquoq; Altari celebrandarum, per quem, & pro quo, & de die.

3 Alia Tabella horarum, & qui primam, & vltimam Missam sint celebraturi in illa hebdomada.

4 Tabella orationum dicendarum per Sacerdotes tam ante, quam post Missam.

5 Tabella dierum festorum.

6 Tabella ordinis distribuendæ ceræ in Funeralibus.

Item retineantur infrascripti libri; videlicet.

1 Liber, in quo scribantur quotidie elemosinę receptæ pro missis celebrandis.

2 Liber, in quo annotentur anniuersaria, quæ celebrantur.

3 Liber, in quo Sacerdotes dietim scribant missas manibus proprijs, quas celebrarunt.

Item sit in dicta Sacristia locus commodus, & seiunctus pro audiēdis confessionibus, Altariolum cum pia imagine alicuius Sancti, vt Sacerdos possit recitare orationes præparatorias, & solitas tam antè, quam post Missas, & se colligere, ac meditari sacra Misteria.

Adsistant Clerici ad seruitium Sacerdotum celebrare volentium, & præparent pręparanda.

De Suppellectili Cap. 11.

Altare vnomquodq; pro nunc infrascriptam suppellectilem habeat, Crucem saltem, cum auricalco, cum operculis extinctorijs binis, emunitoria duo.

Tabellam Secretorum, cornicibus pictis, deauratis ornatam. Tabellam in Principio.

Mappas minores binas disiunctas, quæ totam mensam tegant, totidem tobaleæ esse debent, vt possint mutari, cum sunt purgandæ.

Mappam maiorem superiorem ita oblongam, quæ ad ima quasi Altaris pertingat.

Pallium decens ex corio inaurato pro diebus Ferialibus, & aliud præ-

pratiosius conueniens festo titularis Altaris.

Telam, vel rubeam, vel ceruleam ad puluerem, & sordes arcendas, quæ totam vndiq; mensam contegat, & pauló amplius.

Amictum ex tela linea.

Albam.

Cingulum.

Manipulum, Stolam, & Planetam vniformis eiusdem coloris.

Calicem, cuius cuppa fit argentea deaurata cum patena.

Corporale cum palla, quod corporale sit latum ab omni parte ad minus vncijs triginta, nihilq; elaboratum, nihilq; sericum intextũ habeat.

Sacculũ, seù bursa corporalis Cruce signatã ad instar Planetæ coloris

Purificatorium latum ex omni parte ad minus vncijs sexdecim, cui Crux paruula in medio acu appingatur.

Velum Calicis sericum latum ab omni parte cubito vno, & vncijs duodecim eiusdem coloris Planetæ.

Peluiculam Virceolorum; & Vrceolos duos vitreos, mundos.

Missale vnum, cum signaculis sericis, nuper editum.

Puluinar vnum Missalis.

Sudariolum pro astergendis manibus Sacerdotis.

Eintinnabulum gestatorium vbi non est appensum.

Ceroferarium vnum pro apponendo cereo in eleuationem Sanctissimi Sacramenti.

Nullum Altare in posterum ædificetur, quod prædicta non habeat, vel publico instrumento, se ædificator obligauerit infra sex menses, ea comparaturum,

Declarantes prò rata fructuum alios titulares, si qui sunt in eodem Altari ad expensas prædictas concurrere debere, sub pæna priuationis fructuum.

Nec verò quisquam, etiam Canonicus excusetur, quòminus Altare suum, cappellamq;, quam obtinet, instruat, ornet, ac propria indumenta, & supellectilem comparet, etiam si in eadem Ecclesia sit Canonicus.

De Sepulchris Cap. 12.

MAndamus vt cadauera mortuorum sepelliantur in Sepulchris Ecclesiæ, non autem deformetur eius pauimentum, nec in eo foueæ fiant pro illis humandis sine Nostra licentia scripto con-

cessa

cessa, sub pœna Interdicti Ecclesiæ, & scutorum viginti quinq; vsibus pijs, applicandorum Nostro arbitrio, quò ad Parochum, & alios Rectores Ecclesiæ, & ideo Sepulcra omnia sint concamerata, seu testudineata.

Non deferantur, nec humentur corpora defunctorum ante solis ortum, nec post eius occasum, etiam si sint corpora interfectorum, sine Nostra licentia sub pœna graui pecuniaria Parocho, & sepellientibus.

In operculis Sepulchrorum nulla fiat inscriptio, quæ prius à nobis non fuerit probata.

In Sepulchris existentibus subtus Altare, vel eius scabella nullus sepelliatur, neq; in sepulturis non distantibus ab eis per quatuor passus.

Si constiterit, sepulturam fuisse electam ab aliquo in Ecclesijs Regularium, eorum suasione, vel coactione, vel quauis inductione, electio prò nulla habeatur.

Item electio Sepulturæ facta per infirmum, non tamen in testamento, non attendatur, si eligens non perierit ex illa infirmitate, & de electione legitimè fuerit probatum, ac doctum coram Nostro Vicario Generali.

Clementis V. Constitutione sancitum esse recolant Clerici, tam Sæculares, quam Regulares, nè quem quam directè, vel indirectè, voto, iure iurando, aliauè promissione interposita cogant, siuè inducant, vt in eorum Ecclesijs seputuræ locum eligat, vel iam electũ, non mutet, sub excõmunicationis pœna Sũmo Pontifici reseruata.

Pro infantibus baptizzatis, & obeuntibus ante vsum rationis, peculiare Sepulchrum in qualibet Parochiali Ecclesia intrà sex menses omnino construatur, in quo, aut saltem in aliquo Cæmeterij loco, eorumdem corpuscula sepelliantur.

Ecclesiastici omnes funus concomitantes, veste talari, ac superpelliceo sint induti biretum clericale deferant, biniq; incedant psalmos canentes cum religiosa modestia.

Nihil exigatur, vel paciscatur pro loco sepulturæ nisi adsit pia, & laudabilis consuetudo.

Mulieres, quouis sanguinis vinculo iunctæ, non associent corpora suorum consanguineorum defunctorum, vel affinium, cum ex earum fletu, & clamoribus impediantur preces Ecclesiasticorum concomitantium, & potius risus excitetur, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ.

Ecclesiastici omnes ad funus inuitati conueniant, & superpelliceum induant, nec; discendant à comitatu aliorum, seù superpelliceum deponant, nisi in Sacristia post expletas omninò exequias.

Regulares verò, inuitati ad id funus, pariter in Parochiali Ecclesia conueniant, Crucemq; propriam nullatenus deferant.

Si defunctus elegerit sepulturam in Ecclesia Regularium, ipsi Regulares non audeant leuare funus, & illud efferre sine consensu, & præsentia proprij Parochi, ac interuentu. Cû verò vocantur plures, Sacerdotes vltra propriũ Curatũ, semper primus intelligatur vocatus, Sacrista, Curatus Ecclesiæ Cathedralis, cui, ex Cõstitutionibus eiusdem Ecclesiæ Cathedralis, & Capituli, authoritatem Apostolicam habentibus, licet accedere ad omnia mortuaria.

In Oratoris, seù Ecclesijs Confraternitatum quarumcumq; non sepelliantur Cadauera aliquorum defunctorum, etiam confratrum, sine licentia Nostra scripta, & si alicui ex eis sit concessum ius sepelliendi, id intelligatur sinè præiudicio Parochi; ita vt emolumenta totius ceræ spectent ad ipsum Parochum; & circà anniuersaria in dicto Oratorio celebranda, si ibi mortui sepelliantur, sẽper vocetur Parochus, sub pœnâ Interdicti, ipsius Oratorij, eò ipso.

Funus mortui Parochi, obeat alter Parochus loci eiusdem, vel vicinior, qui etiam Missam dicat pro eius anima, & id omnino ex charitate fiat.

Miserabiles personas sepelliat Parochus suis sumptibus.

Dum mortuorum corpora Sepulturæ traduntur, ipse Parochus semper assistat, vt omnis superstitionis tollatur occasio, & de vestimentis nihil subripiatur.

Sacerdos defunctus efferatur indutus vestimentis Sacerdotalibus, cum Cruce tantum in manibus, non autem cum Calice.

Si alicuius cadauer fuerit in Ecclesia, etiam Regularium, sepulturæ perpetuæ traditum, inde non asportetur Episcopo inconsulto.

Tempore exequiarum non vendantur Candelæ per Ecclesiã, in qua fiunt dictæ exequiæ, & in disponendis his, quæ ad funus defuncti spectant, solus Parochus se interponat.

Exequię defunctorum, nec anniuersaria fiant tempore diuinorum Officiorum, & Missarum diebus festis.

In Exequijs, officijs Mortuorum, Anniuersarijs, & similibus, primæ candelę per quemlibet accendantur, sub pęna, vnius Aurei.

De distributione verò candelarum, Mandamus, vt in forma, & ordine distribuendi, fiat tabella affigenda in qualibet Sacristia ab

omni-

omnibus obseruanda, sub pæna similiter vnius aurei, & in subsidium excommunicationis.

Tabella ordinis ceræ in Ecclesijs distribuendæ est quæ sequitur.

Ordo distribuendæ Ceræ in Funeralibus. Seruandus in omnibus Ecclesijs Ciuitatis Politianæ, à Laicis, qui distribuunt ceram, & à Clericis cuiuscumque ordinis, & gradus tam sæcularibus quam Regularibus.

Al Sig. Arciprete Candele	num.	12.
E più Candele	num.	12.
All'altre due Dignità Sig. Preposto, e Sig. Archidiacono Candele sei, e sei.	num.	6. e 6.
Alli Signori Canonici, benche Dottori, ò graduati.	C.	4. e 4.
Alli Reuerendi Cappellani tre, e tre.	C.	3. e 3.
Al Curato proprio quattro, e quattro.	C.	4. e 4.
All'Eddomedario, che fa l'offitio sei, e sei.	C.	6. e 6.
Alli due Assistenti per ciascuno.	C.	4. e 4.
All'altri Sacerdoti, Diaconi, e Sudiaconi.	C.	3. e 3.
Alli Clerici due, e due.	C.	2. e 2.
Alli Reuerendi Padri Guardiani, o Priori de Conuenti.	C.	4. e 4.
Alli Sacerdoti, Diaconi, e Subdiaconi Regol. tre, e tre	C.	3. e 3.
A' Laici de Conuenti due, e due.	C.	2. e 2.

Si quis, contra ordinem præfatum, & mandatum Nostrum, aliquid in Ecclesia, vbi funus peragitur, det, vel etiam sponte oblatum recipiat, facit contra iustitiam, lædit aliorum dignitatem, & tenetur ad restitutionem. Quarè vltra pænam superius appositam, ad restitutionem teneri declaramus, & diffinitiuè sententiamus; nunc pro tunc relaxantes omne mandatum exequutiuũ, necessarium, & opportunum, facultate Nobis à Sac. Conc. Trid. tradita.

De

QVIA indicere Festa in honorem Dei, & Sanctorum residet pœnes Summ. Pont. Sac. Cong. & Episcopos; ideo à Laicis id fieri omninò prohibemus. Contrafacientes sint ipso facto ab ingressu Ecclesiæ interdicti.

Cum in Visitatione compertum fuerit, dies festos, ad Dei, & Sanctorum laudes celebrandas, institutos, violari cum Dei offensione, & animarum pernicie: Volentes hisce malis obuiare, prout tenemur, Decernimus, vt Edictum pro Festorum dierum obseruantia, bis singulis annis per Parochos publicetur.

Diebus festis, nulla per Ministros Curiæ Ecclesiasticæ, vel Secularis fiat exequtio realis, vel personalis pro causa ciuili, sub pęna nullitatis, & excomunicationis ipso facto incurrendæ.

Item diebus festis, præsertim solemnioribus, ne fiat Mercatum, neq; Nundinæ iuxta declarationem Sacræ Congregationis Conc. Trid. interpretis, nec alia fiant ludrica, & inania spectacula, non obstantibus quacumq; consuetudine in contrarium, quæ potius corruptela est, sub pæna arbitraria.

Prohibetur etiam omnibus omninò ludus alearum, & taxillorum, præsertim pubblice; sub pæna decem scutorum pro quolibet, & qualibet vice locis pijs applicandorum.

Præsertim verò in diebus festiuis prohibetur ludus qui dicitur, del Rotellone, ò retella, cascio, in quo solent impendere quasi integrum diem, & illud tempus, in quo diuina celebrantur officia, Doctrina Christiana, Rosarium, aliæq; deuotiones, quodq; tẽpus, festorum dierum cultui dicatum est. Vnde etiam (quod peius est) emanat occasio aliorum criminum, blasphemiæ (videlicet) & furti, quod committitur ad soluendum id, quod in magna quantitate, ludo tali, amiserunt.

Officinarum ostia in diebus festis sint clausa, nec aliquid vendatur, nisi ad victum necessarium, vel pro infirmis, & qui contrafecerit, mulctetur pæna duorum scutorum.

Parochi quolibet die Dominico annuncient Populo festiuitates, & ieiunia, quæ de præcepto seruari debent. Violatores autem diuini præcepti, circa festorum sanctificationem, frequenter deterreant, vltra lætalis culpæ reatum, etiam temporaneas pænas tam Pij Quinti, Constitutione inflictas, quam in Edictis generalibus proponendo.

Tabella

Tabella dierum Festorum de præcepto seruandorum est, quæ sequitur.

Festa de præcepto.

Omnes dies Dominici.
Pascha Resurrectionis Domini N.I.Christi, cum duobus diebus sequentibus.
Ascensio eiusdem D. N. I. C.
Vigilia Pentecostes.
Festum Pentec. cum duobus sequentibus diebus.
Festum Santiss. Trinitatis.
Festum Santiss. Corporis

MENSIS IANVARII HABET.

1 Circumcisionem D.N.I.C.
6 Epiphaniam D.N.I.C.

FEBRVARII.

2 Purificationem Beatæ Mariæ Virginis.
23 Vigiliam.
Seu iuxta annum bisseſtilem.
24 Vigiliam.
25 Festum S. Matthiæ Apost.

MARTII.

19 Festum S. Ioseph Confess. Sponsi B. Virginis.
25 Festum Annuntiationis B. Virginis.

APRILIS.

20 Festũ S. Agnetis Virg. Polit.

MAII.

1 SS. Philippi, & Iacobi Apostolorum.
3 Inuentionis S. Crucis.

IVNII.

23 Vigiliam.
24 Festum S. Ioannis Baptistæ.
28 Vigiliam.
29 Festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

IVLII.

24 Vigiliam.
25 Festum S. Iacobi Apost.
26 Festum S. Annæ Matris B. M. V.

AVGVSTI.

9 Vigiliam.
10 Festum S. Laurentij mart.
14 Vigiliam.
15 Festum Assumptionis B. M.
24 Vigiliam.
25 Festum S. Bartholomæi Apost.
29 Festum Decollationis S. Ioannes Baptistæ In Ciuitate, & Diœcesi Polit.

SEPTEMBRIS.

8 Festum Natiut. B. V.
20 Vigiliam.
21 Festum S. Matthęi Apost.
29 Festum Dedicationis S. Michaelis Archang.

OCTOBRIS.

27 Vigiliam.
28 Festum SS. Simonis, & Iudæ Apost.
31 Vigiliam.

NOVEMBRIS.

1 Festum omnium Sanctorũ.
29 Vigiliam.
30 Festum S. Andreę Apost.

DECEMBRIS.

20 Vigiliam.
21 Festum S. Thomæ Apost.
24 Vigiliam.
25 Festũ Natiuitatis D. N. I. C.
26 Festum S. Stephani Proth.
27 Festum S. Ioannis Apost. & Euang.
28 Fest. SS. Innocentium.
31 Festum S. Siluestri Papæ, & Confessoris.

De Sacramentis in genere. Cap. 14.

PRo Sacramentis administrandis, & decenter retinendis iidem Parochi Rituale Romanum Pauli V. iussu, editum, apud se habeant, & ad illius præscriptum, ritus, & ceremonias ad vnguem, obseruare studebunt.

Nihil prorsus pro Sacramētorum administratione exigant, vel paciscantur, ne Simoniæ labem incurrant, nisi forrè spontè, vel Eleemosinæ nomine detur.

Habeant omnino Parochi ijdem distinctos libros, videlicet baptizatorum, confirmatorum Status animarum, Matrimoniorum, & defunctorum, dictosq; libros, in Armario in Sacristia existente, asseruent.

Et quoniam in Visitatione nostra generaliter inuenimus, dictos libros non rectè, ac fideliter à Parochis custodiri, nec in aliquibus Parochijs vllos libros reperiri suorum antecessorum, in graue fidelium præiudicium, & comune detrimentum, cum sæpissime haberi non possint fides baptizatorum, Matrimoniorum, & aliorum Sacramentorum ab antecessoribus administratorum. Ideo.

Præcipimus, & mandamus in posterum dictorum librorum transūptum Parochorum manu descriptum, quolibet triennio, eosdē Parochos coram Vicario Generali teneri exhibere, ad hoc vt in Archiuio Curiæ Episcopalis conseruentur sub pæna scutor. quinquaginta locis pijs aplicandorum.

Cum verò Pastoris munus sit oues suas agnoscere, ideo curabunt Parochi per se ipsos omnibus in sua Parochia existentibus, sacramenta administrare; quod si contigat, aliquem sua culpa decedere sinè sacramentis, vltrà pænam scutorum decem ipso facto incurrendam, grauibus pænis puniantur.

De Baptismi Sacramento. Cap. 15.

MOneant frequenter Curati Populos, vt primo quoq; tempore infantes ad Ecclesiam deferri curent, nec eos esse domi Baptizandos, nisi vitæ periculum immineat, & tunc debere huiusmodi Sacramentum à digniori, qui præsens fuerit, ministrari, nisi forte baptismi formam melius altet teneat aut parens sit, qui abstinere debeat propter spiritualis affinitatis impedimentū; in Ecclesia autem solum à Parocho administretur.

Doceant

Doceant etiam, tria necessario in baptismo requiri, materiam, aquã scilicet elementarem; formam, videlicet, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen, & intentionem agendi, quod Ecclesia Catholica agere intendit.

Obstetrices horum ignaras, & indociles, & non habentes facultatem scriptam, ab officio desistere debeant sub pœna vnius aurei.

Quando infans domi baptizatus, ad Ecclesiam defertur ad solemnes cæremonias peragendas, diligenter inquirant, an ritè baptizatus fuerit, scienterq; nisi post huiusmodi perquisitionem dubitetur, & adhuc an fuerit baptismus ritè exhibitus, non esse denuo, neq; sub conditione iterandum.

Expositis pariter sub conditione ministretur, si de ipsorum baptismate dubitari contigat.

Non admittatur ad suscipiendum de Sacro fonte nisi vnus, siuè masculus pro masculo, seù fœmina pro fœmina, nisi aliud videatur pro opportunitate temporis concedendum, qui semper erunt de spirituali cognatione commonefaciendi. Nec pariter admittantur ignorantes rudimenta fidei, neq; excomunicati, neq; qui eo anno sacra non fuerint communione refecti.

Moneant Parochi pregnantes mulieres, vt in nono mense, diligenter, peccatorum confessione, selemet expiare non renuant.

Mandamus item, quod Baptismi sacramentum non ministretur in Ecclesia ante Solis ortum, nec post eius occasum, neq; ministretur domi, sed in Ecclesia Parochiali tantum, sub pœna Parocho, Suspensionis à diuinis eo ipso.

Item non differatur baptismus vltra octo dies sub pœna excomunicationis latæ sententiæ, parentibus.

Item imponantur baptizandis nomina Sanctorum, vt quorum nomina referunt, eorum vita sectentur exempla, & patrocinijs adiuuentur.

Item moneantur Compatres, & Commatres per baptismi Sacramẽtum, non solum spiritualem cognationem contrahi; verum etiã eos teneri ad docendum baptizatum præcipua christianæ fidei misteria.

Item hortentur parentes, ac nutrices, ne infantes, per annum in suo lecto retineant, ad effugiendum periculum suffocationis, & ideo Curati, postquam baptizauerint infantes, moneant parentes sub præcepto Nostro, ne infantes in lecto retineant per annum, & tres dies, siuè capsula, seù alio efficaci remedio sub pœ-

na

na peccati mortalis, & decem scutorum, cum obligatione conficiendi publicam pænitentiam ante; In quo conscientiam Curatorum oneramus, qui teneantur infantes suffocatos, Nobis, vel Curiæ denunciare ad effectum prædictum, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda Nobis reseruata.

In libro particulari describantur baptismata omnia per ipsum Parochum, dies autem, mensis, & annus describantur per extensum, ad tollendas fraudes, & falsitates, & singulo triennio deferantur in Archiuium nomina baptizatorum prout iacent in dicto Libro.

De Sacramento Confirmationis. Cap. 16.

QVando in die S. Pentecostes, Sacramentum Confirmationis administrandum erit, Parochi per octo dies antè moneant confirmandos, neminem ex eis esse admittendum ad recipiendum dictum Sacramentum, nisi rudimenta fidei sciat; si adultus sit, ante confiteri peccata sua debere, & cum deuotione, ad recipiendum, accedere; eosque moneant de Cognatione spirituali, quam cum Compatre, & Commatre contrahunt; & adhoc liber adhibeatur, in quo notentur nomina confirmatorum, & in Archiuio Episcopali conseruetur, seù in Ecclesia Cathedrali.

De Pænitentia Sacramento. Cap. 17.

SAEpius Curatores Animarum, ad sacræ Confessionis frequentiam Populum adhortentur, & vberrimum, qui ex ea percipitur, fructum explicent.

Quem pænitentem, rudimentorum fidei aduertant ignarum, non absoluant, & præsertim omnia necessaria ad animarum salutem.

Superpelliceo, ac Stola Clerici omnes, Regulares autem saltem Stola induti sint, si Confessiones audiant in Ecclesijs, & præsertim Mulierum, quæ nisi in Ecclesia, & Confessionali, neque antè ortum, vel post occasum Solis, non, nisi aliud necessitas postulet, erunt audiendæ.

Caueant Confessarij siuè Seculares, siuè Regulares, nê quidquam mercedis nomine, etiam vltrò oblatum à pœnitentibus, pro pænitentiæ administratione accipiant.

Si

Si interdum pænitentes adstringere oporteat, vt in partem satisfactionis pecuniam erogent in aliquod pium opus, eamdem, Confessarij vsibus suis nequaquam addicant.

Si quid verò elemosinæ nomine, ad Missæ Sacrificium conferendum erit id, sibi dari, nè curent. Quidquid tandem alteri restituendum erit, modo alias restitutio occultè fieri possit, ne id oneris ipsi suscipiant, vel pęnes se quidquam alteri debitum, deponi sinant.

In hoc autem decretum temere committentem, eo ipso à facultate audiendi Confessiones suspensum esse volumus, & declaramus.

Confessarij non audiant in hebdomada maiori Confessiones eorum, qui per annum integrum confessi non sint, sed expectetur donec transacta sit octaua Pascatis.

Quicunque, etiam Regulares, de Parochorum licentia, ægrotorum confessiones audierint, scriptum huius rei testimonium, siue Parochis siue Medicis exibendum relinquant.

Item, dum audiunt Confessiones in ecclesia, sint in loco conspicuo, & in Sede confessionali, non autem in Cellis, sub pæna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso Iure.

Item, id non administretur in Aedibus priuatis sub pæna dictæ suspensionis, vt supra, nisi de licentia Nostra, scripto exarata, vel nisi pęnitentes sint priuilegio decorati, seù crassioris auditus, & nisi in casu grauis infirmitatis, & tunc illicò seù saltem eadem die auditæ confessionis significent id Parocho ipsius infirmi, sub eadem pæna, seù fidè relinquatur Parocho exhibendam.

Item Confessarius Regularis non admittatur ad examen prò audiendis confessionibus Secularium personarum, nisi prius exhibeant fidem sui Superioris super eius idoneitate circa vitam, & mores, & sufficientiã ad id munus, & docuerit in scriptis, quod Superior loci illum petat admitti.

Itẽ Confessarij Regulares examinati, & approbati ab Illustrissimis Episcopis antecessoribus Nostris, tam simpliciter ad audiendas confessiones, quam, quam ad certum tempus, sciant id munus minime exercere posse, stante Nostra declaratione.

Item Confessarij approbandi quò ad confessiones Mulierum sint prouectæ ætatis, & vitæ irrepræhensibilis, & confessiones Mulierum egrotantium audiantur osthio cubiculi aperto.

Non administretur hoc sacramentum mulieribus energumenis intrà annum, nisi de licentia speciali Nostra scripto exarata.

Item præfati Confessarij, curent, vt ante ceptam confessionem, pęnitentes

tentes recitét capita quatuor Doctrinæ Christianæ, Videlicet sciant quæ necessaria sunt ad saluté & quod tollatur omnino proxima occasio peccandi, nè reiectos ab alio Confessario recipiant de facili, sed causas repulsæ diligenter scrutentur, & tunc pro sua prudentia prouideant.

Item non audeant pænitentiam publicam, ab alio Confessario iniunctam, commutare, nec à casibus Nobis reseruatis absoluere, absque licentia S.D.N. scripto concessa; alioquin subibunt censuras, & pænas contentas in Decreto Clementis VIII. scilicet Excomunicationis ipso facto Papæ reseruatæ.

Item benè sciant Canones pænitentiales, & pænitentias in eis impositas, pænitentibus significent, & declarent.

Medici non inuisent vltrà tertiam diem infirmos, nisi sint confessi sua peccata, & de Confessione, ipsis fides exhibeantur.

CASVS RESERVATI

1 *Blasphemia hereticalis in Deum, B. Virginem, & Sanctos.*
2 *Abusus Sacramentorum, & Sacramentalium.*
3 *Homicidium voluntarium, non solum quò ad committentes, sed etiam quò ad consulentes, mandantes, auxilium, vel fauorem quomodo libet praestantes, effectu sequto.*
4 *Incestus in primo, vel secundo gradu consanguinitatis. & in primo Affinitatis, quò ad Masculos tantum.*
5 *Quaecumq; Copula carnalis, etiam tantum attentata, cum Filia spirituali, vel parochiana.*
6 *Concubinatus, Sodomia, & bestialitas.*

Gaudentes verò in Italia priuilegijs absoluendi a Casibus Papae reseruatis pęnitentes liberare non possunt a subiectis criminibus.

Casibus in Bulla Cœne contentis, vel Nobis reseruatis.
Violatione immunitatis Ecclesiast. in terminis Bullae Gregorij XIIII.
Violatione clausurae Monialium prauo animi proposito.
Prouocatione, & pugna Duelli in terminis Concilij Tridentini, & Constitutionum Gregorij XIII.
Iniectione manuum violentarum in Clericos iuxta cap. Si quis suadente Diabolo.
Simonia reali scienter contracta, & fidentia beneficiali.

Nouerint quicumq; facultatem habuerint absoluendi a casibus reseruatis, non posse tamen absolutionem impendere cuiquam in casu abortiuo animati fœtus effectu sequto, nisi à Nobis fuerint ad hoc specialiter deputati, ex Constitutione Gregorij XIIII.

Neq; licere vnquam Confessario cuilibet, etiam Regulari in Nostra Ciuitate, vel Diœcesi qui criminis, alicuius, lœthalis, socius particepsuè fuerit, complicem audire in confessione, & absoluere.

Quam quidem prohibitionem declaramus non esse casus reseruationem, sed in huiusmodi casu omnino positiuam reprobatio-

nem

nem, ab eius confeſsione audienda qui fuerit ſocius, aut peccati particeps, quem ſi Confeſſarius in confeſsione audire, & abſoluere audeat, ſtatim indicat in excomunicationem Nobis reſeruatam, eò quod eum abſoluere, quem abſoluendi iuriſdictio, & facultas omnis à Nobis ſit adempta, & ipſa confeſsio tali culpæ ſocio facta ſit irrita, & nulla defectu Iuriſdictionis, quæ reſidet penes quemcumq; alium Confeſſarium Ordinarium culpæ non ſocium, cum peccati complex non teneatur ſe preſentare Confeſſario Superiori habenti facultatem pro reſeruatis ſed tantum Confeſſario ordinario à Nobis approbato, modo non complici.

Cautè item ſe gerant Confeſſarij in confeſsionibus audiendis, & abſolutionis beneficio concedendo, nè laqueum ſibi ipſis inijciant, dum aliorum vincula perrumpere, quæ non poſsint pertentent. Teneant id circò excomunicationes omnes præter caſus Sũmo Pontifici, ſiue Nobis reſeruatos, plures in Decretis Decretalium Clementinis, alijsq; Extrauagantibus, & Concilio preſertim Tridentino, & nonnullis ſummorum Pontificum Bullis exiſtentes cenſuras, quas, nimis longum eſſet hic recenſere, & iam ferre omnes collectæ extant in libello impreſſo, & inſcripto, Memoriale ſciendum à Clericis.

Confeſſari Inſuper tam ſeculares, quam Regulares non audiant Cõfeſsiones Sacramentales, niſi prius à Nobis, ſeù Vicario Noſtro generali, & alijs examinatoribus examinati approbentur, & admittantur. Nullatenus verò intelligantur admiſsi ſine litteris Noſtris, vel Vicarij Noſtri patentibus ſubſcriptis, & obſignatis, ad effectum in illis apponendi nonnullas conditiones neceſſarias, & opportunas, prò ritè, & rectè hoc Sacramento adminiſtrando; & eorum nomina deſcribendi in Libro particulari ad hoc comparato in Cancellaria Noſtra perpetuò aſſeruando. Quam approbationem, & admiſsionem intelligi volumus, & declaramus, quò ad Regulares in Eccleſijs tantum ſuorum ordinum, & non alibi ſinè Noſtra, vel Vicarij licentia.

Si quis ad vnguem, tam Secularis, quam Regularis Confeſſarius non obſeruauerit hoc decretum, eo ipſo ſuſpenſus intelligatur ab exercitio huius Sacramenti: Nec licentia in voce ſuffragetur.

Nihil magis à Parochis curandum erit quam nè quid sibi, aut fideli Populo, ad summam animæ integritatem, & innocentiam desit, cum hoc augustißimum Sacramentum tractaturi, vel percepturi fuerint, quod facile assequêtur si frequenter eius vtilitatem, ac vberrimos fructus, ex Cathechismi Romani doctrina, piè, ac prudenter, pro suscipientium captu exposuerint.

A Cœlesti Conuiuio (iuxtà Rituale Romanum) excludantur Concubinarij, Blasphemi, atq; Fœneratores, si publici sint, nec non inimicitias, cum scandalo exercentes, ac Meretrices, donec sinceram, malæ actæ vitę, emendationem, certis indicijs comprobauerint.

Post secundam Dominicam Paschatis, nomina singulorum deferãt Parochi, qui sacram Comunionem non susceperint, nec huiusmodi Ecclesiæ, præcepto fecisse satis intelligantur, qui extra propriam Parochiam sumpsisse prætendunt.

Singulis octo diebus tum hiberno, tum æstiuo tempore Santissimũ Sacramentum, & præcipuè vnaquaq; feria quinta, in qua Christus Dominus hoc tantum Sacramentum instituit, renouet, & decem saltem, contineatur, particulis, à fragmentis prius purgatis.

Tabernaculum intrinsecus panno serico rubei, vel albi coloris ab omni parte vestitum, atque ornatum sit.

Ostiolum Sacra, Christi Domini Crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, immagine ornatum sit; quod tuta, & fida claui inaurata, ex qua cordula serica alba cum flocculo pendeat, muniatur, quæ à Parocho benè custodiatur sub alia fida claui.

Tabernaculum ipsum habeat quatuor conopea diuersorum colorũ pro temporum varietate, eaq; sint serica, quæ amplè vndiq; pateant pro Tabernaculi amplitudine, ita vt à parte superiori crispata, ab ima verò ornata aliquo decenti opere arte elaborato, longe latius decenter respondeant, quorum quodlibet pro temporis opportunitate appẽdatur in Ciborij summitate, Cruci subiecta

Pixis vnica saltem ad Sanctißimam Eucharistiam, ritè, pieq; custodiendam, semper in Tabernaculo conseruetur: Alia verò minor ad vsum infirmorum, saltem ex argento intus, & foris auro illinita, vbiq; retineatur.

In eius vero summitate, Crux paruula infixa conspiciatur.

Vela

Vela quatuor colorum pro temporum varietate, videlicet, Albi, rubei, violacei, & viridis, ſerica decentia fimbreis aureis, vel ſaltem ſericis ornata, Pixidi contexta ſint.

Corporale, Pixidi ſubſtratum in quolibet Tabernaculo, quater in anno renouetur.

Cum Sanctiſsmum Sacramentum ad infirmos deferri cõtingat præmiſſo Campanæ ſigno iuxta Ciuitatis ſolitum, pro conuocandis Christi fidelibus; Parochi omnes Ciuitatis, ſuperpelliceo, & ſtola induti, ſub baldacchino illud deferant, pręcedenti lucida lãterna, & tintinnabulo pulſante, vt domi degentes Sanctiſsimum Sacramentum ea, qua decet veneratione, adorent, & pro infirmo Deum præcentur, nec aliter Parochi audeant, illud de Eccleſia deferre, ſub pæna vnius aurei.

Priores, & officiales Sodalitatis Sanctiſsimi Sacramenti, oblationes, & eleemoſinas, ac redditus illius, erogent in ornatum (quo fieri poteſt) maiorem, vt Cultus in dies magis augeatur, & cum ſplendore, & apparatus magnificentia, tantum Sacramentum aſſeruetur.

Parochi omnes, munere deferendi Santiſsimum Sacramentum ad infirmos, perfuncti, vt ad Eccleſiam redierint, fidelibus, qui illud comitati fuere præſentibus, Indulgentiam, quam illo pietatis officio conſequuti ſunt, denũcient breuibus verbis, chortãtes, vt in Religioſo eo inſtituto ſanctè perſeuerent, & pronunciata oratione de Sanctiſsimo Sacramento, illos dimittant in pace, cum benedictione.

Lampades vitreæ quotidiani vſus ſingulis quindecim diebus abſtergantur, & lucidæ conſeruentur.

Aduenæ, & Peregrini, in Paſchate, communicati, in alio libro peculiari, ſideliter aſſeruando, deſcriptis nominibus, cognominibus, & domicilio, notentur.

Qui infra Octauam Paſchatis Sanctiſsimum Euchariſthiæ Sacramẽtum non ſumpſerint, poſtquam fuerint in ætate legitima, illico intelligantur Interdicti ab ingreſſu Eccleſię, & tamquam tales publicentur à Parochis etiam cum affixione cedulæ ad valuas & inter miſſarum ſolemnia.

De celebratione Miſſarum Cap. 19.

Sacerdos, veſte talari indutus, & Coronam Clericalem conſpicuã habens, cum alijs requiſitis Miſſam celebret. Miſ-

Missa, non antè Auroram, nec post mœridiem, nisi ex causa permissa, celebretur.

Quando Episcopus cantat solemniter Missam, omnes Præsbiteri, & Clerici Ciuitatis adsint in Choro ad præscriptum Constitutionũ Ecclesiæ, & Edicti Nostri, sub pæna pro vt in eo &c.

Plura stipendia, quantumcumq; congrua, & exigua, siuè ab vna, siuè à pluribus personis, accipientes, nequaquam suę obligationi satisfacient, nisi Missas, quæ perscriptæ fuerunt, celebrauerint, imò grauiter peccabunt, & restitutioni obnoxij erunt.

Qui Missas celebrandas susceperint cum certa elemosina, maiori tamen, quam tribui consueuerit, easdem alteri non commitat, parte eiusdem eleemosinæ sibi retenta.

Nec Ecclesiæ, nec loca pia, seù illorum administratores portionẽ ex eleemosinis Missarum retineant, ratione expensarum, quas subeunt, nisi alios habeant redditus, quos in huiusmodi vsus erogare possint, & tunc illam tantũ portionem poterunt retinere, quæ valorem expensarũ non excedat, & nihilominus si (deductis expensis) adhuc aliquid supersit, totum pro missis celebrandis, impendatur.

Pecunię, ac bona mobilia cum onere Missarũ perpetuo cælebrandarum, relicta, statim realiter acquisitã, deponantur, ad effectum inuestiendi, cum indiuidua mentione oneris annexi, Interdicti ab ingressu Ecclesiæ pœna ipso facto proposita ijs, ad quos huiusmodi munus pertinebit, nisi prædicta adimpleuerit.

Non accipiant nouas eleemosinas ij, qui acceptis non satisfecerint, nisi infrà modicũ tempus, possint oneribus satisfacere, aut alias, tribuens sciat, & consentiat.

Onera perpetua Missarum celebrandarum nemo suscipiat, siuè Rector Ecclesiæ sit, aut administrator, nec etiam Moniales talia onera admittant absq; licentia Nostra, vel Nostri Vicarij generalis, gratis concedenda; alioquin omnes tam Clerici, quam Laici, huius prohibitionis trasgressores, eo ipso sint ab ingressu Ecclesiæ interdicti.

Moniales verò, priuationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis, ad alia de cætero obtinẽda vocisq; actiuæ, & passiuæ, pænas absq; vlla declaratione incurrant.

Vicarius autẽ vbi de licentia prædicta prò perpetuis oneribus, fuerit requisitus, in singulis casibus diligenter inquirat, de singulis Missarum celebrandarum, obligationibus, nec antea assensum

huius-

huiusmodi, aut licentiam præstet, quam, si ei legitimè constiterit, tales Sacerdotes, tum nouo oneri suscipiendo, tum antiquis iam susceptis saltem intrà modicum tempus, satisfacere posse, concedat.

In quacumq; Ecclesia, vbi Sacerdotum copia adsit, & plures Missæ dicuntur, vna semper ad Populi commoditatem in ortu Solis celebretur.

Missam nouam celebrare nemini liceat, qui prius non fuerit à cæremoniarum Magistro probatus.

In priuatis Ecclesijs, seù Confraternitatum Oratorijs, neq; etiam à Regularib. sacrũ fiat in diebus festis ex præcepto, seu ex cõsuetudine seruandis, antequã Missa Parochialis absoluatur, quæ habita ratione commoditatis Populi non diutius, quam par est, protrahatur; Si aliter factum sit, absq; speciali assensu Nostro priuatæ Ecclesiæ ipsæ, seù Oratoria statim Ecclesiastico subiaceant Interdicto.

Adstrictus ad Missę celebrationem ratione Beneficij, vel legati, ne audeat recipere Eleemosinas pro Missis votiuis, vel defunctorum celebrandis illis diebus quibus est obnoxius sub pęna restitutionis dictæ eleemosinæ, & alijs arbitrarijs.

Missam celebrans anticipatè pro intentione illius qui postea tribuet eleemosinam, non posit recipere illam, aliter tenetur ad eius restitutionem.

Missa applicatur semper pro anima Testatoris, licet in legato non fuerit expressum, præsertim si id legatũ vel beneficium sit pingue.

Nullus Sacerdos forensis, scilicet quod non sit Nostrę Ciuitatis, vel Diœcesis, ac ignotus, admittatur ad celebrandum Sacrum in qualibet Ecclesia, etiam Regularium, siuè Oratorio sine Nostra, vel Nostri generalis Vicarij licentia, scripto concessa, & nisi doceat de litteris testimonialibus, & admissorialibus sui Episcopi, in quibus fiat (inter alia) mentio, quod non sit inquisitus, seù cõdemnatus prò aliquo delicto, & nulla sit suspicio falsitatis.

Item nullus Sacerdos præsertim forensis, audeat se ipsum in Missæ celebratione, populi eleemosinis commendare.

In Oratorijs, & Ecclesijs Confratrum quorumcumq; nullus Sacerdos, etiam Regularis, admittatur ad Sacrum celebrandum, nisi de licentia Nostra, nel Nostri Vicarij generalis scripto exarata, renouanda singulis sex Mensibus, sub pœna Interdicti dictæ Ecclesiæ seù Oratorij eo ipso, & in dicta licentia semper apponantur

tur illa verba videlicet, vt in eis non celebretur diebus festis, nisi prius absoluta Missa Parochiali, sub eadem pœna.

In Ecclesia Cathedrali, vel quacumq; in quibus plures Sacerdotes quotidie celebrant; diebus, in quibus ex Missalis Romani, præscripto, duæ Missæ Conuentuales decantandę sunt, omnino decantentur sub pœnis grauibus.

Missæ à Sacra Congregatione non approbatæ; putà S. Gregorij pro Viuis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum, & de Patre Aeterno non celebrentur à quocumq; Sacerdote, iuxta decreta Cógregationis Sacrorum Rituum.

Diebus Dominicis, alijsq; festis duplicibus non celebrentur Missæ votiuæ prò defunctis, neq; Anniuersaria à Dominica Passionis, vsq; ad octauam Paschatis Resurrectionis; neq; à festo Pentecostes vsq; ad festum Santissimæ Trinitatis.

Clerici, dum Missæ inseruiunt, vtantur veste talari, & superpelliceo sint induti, atq; piè, deuotèq; fungantur munere suo.

In Missa Noua tollantur omnes abusus, sumptuosa conuiuia, ludi Choreæ, sonitus tubarum, eleemosinarum exactiones, & omnia alia redolentia auaritiam, sub pæna Suspensionis à diuinis, quò ad ipsum Sacerdotem.

Semel saltem Cápanæ ictu Populus moneatur pro celebratione Missæ; & inter Missam vnam, & alteram interponatur congrua mora iuxtà numerum Missarũ, & vnicuiq; applicetur sua hora celebrãdi

Nullus Sacerdos audeat celebrare Missam cum anulo, etiam si sit in dignitate constitutus, nec cum sub bireto, nisi de licentia.

In die festo Sancti Titularis, Missa saltem vna celebretur in sua Ecclesia per beneficiatum, etiam si de aliqua obligatione non constet, & solemniter decantetur si vires beneficij patiantur, sub pęna ipsi beneficiato duorum aureorum applicandorum necessitatibus dictæ Ecclesiæ.

De sequestratione fructuum facienda Cappellanis non officiantibus, sinè strepitu, & figura Iudicij, vnica tantum citatione præcedente, & ad Valuas cum absentibus sequestratio fructuum fiat.

De

De Extremæ vnctionis Sacramento Cap. 20.

Aegrotanti, ante extremam vnctionem, ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum præbeatur: Si quis autem ex qualitate Morbi sacram non posfit cõmunionem recipere, pænitentiæ sit saltem Sacramento præmunitus, quod si vis tanta morbi ægrotum oppresserit, vt neq; confitendi facultas detur, tunc etiam inungi licebit, modò se Sacri Olei desiderio teneri, nutu aliquo, & significatione pietatis ostẽdat; aut ipsius actæ vitæ probitas, satis Parocho sit nota.

Etiam si periculosè ægrotantibus, mortiq; proximis huiusmodi Sacramentum præbendum sit, illud tamen obseruabit Parochus, vt eo potisſimum tempore, hanc cælestem medicinam adhibeat, cum ijs, qui sacro Oleo liniri debent, integra mente, & ratione, fidem, ac religiosam animi voluntatem, ad maiorem Sacramenti gratiam consequendam, afferre possint.

Sacra Olea, quolibet anno tam Parochi, quam Regulares Diœcesis, à Cathedrali Ecclesia sumere debebunt, pro quibus accipiẽdis nemo mittatur, qui non sit in Sacris constitutus.

In administratione Sacramenti extremæ vnctionis, seruetur Rituale Romanum, & statim postquam nouũ oleum benedictum fuerit, oleo veteri quis non vtatur, nisi antè noui receptionem vrgeret necessitas infirmi, & Parochus hortetur infirmos vt dictũ Sacramentum recipiant, dum in illis est mens integra, & ratio viget.

Armariolum, seù fenestella ad sacri infirmorum olei custodiam in singulis Ecclesijs Parochialibus construatur à cornu Euangelij Altaris Maioris intrà cancellos, in quo custodiatur oleum infirmorum, quæ sit excauata in pariete cubito vno, lata, & alta cubito vno.

A pauimento Cappellæ distet cubitis sex cum dimidio.

Intrinsecus vestiatur aliquo panno serico violaceo.

Valuis æreis, si fieri potest extrinsecus, sera, cautaq; claui munitis, claudatur, quæ omni diligentia ab ipso Parocho custodiatur etiam sub alia claui.

Foris aliqua decenti pictura circumcirca ornetur, & litteris grandiusculis exprimatur in eo loco Oleum Sanctum Infirmorum.

Vasculum verò ex argento sit cum hac inscriptione, Extrema Vnctio quod infra Mensem comparetur, & includatur in Capsula lignea, opere tornatili elaborata, circum vestita, velo serico violaceo,

extrinsecus aliquo coriaceo contegatur.

Comparetur bursula serica violacei coloris, quæ habeat fundum formæ rotundæ, ad instar paruulę rosæ, cordulas item oblongas, vt Parocho vsui etiam possint, ad vasculum, collo appendendū.

Bombix, seù stuppa, qua infirmi membra deterguntur post extremam vnctionem, ad Ecclesiam delata, comburatur, & cineres in Sacrario projciantur.

Sal sit purum, & siccum non humidum.

De Sacramento Ordinis Cap. 21.

QVI prima Tonsura initiandus erit, Ius Diœcesis obtineat, & ex legitimis sit nuptijs procreatus, non sit minor septennio, sit etiam Sacramento Confirmationis insignitus; Vestes talares, superpelliceum præseferat, & Clericale biretum, quibus, & clericali corona decenter ornatus, Ecclesiæ inseruiat; cui adscribetur in suis testimonialibus litteris.

Suscepturi minores ordines, litteras testimoniales habeant, cuius ætatis sint, à prima tonsura Clericalem habitum continuò gestasse; sacramentalem confessionem, & communionem singulis saltem mensibus obijsse, Doctrinæ Christianæ scolas frequentasse, cantus plani, seù firmi, vt dicitur, peritiam habere, & Ecclesiæ cui fuerint adscripti, deseruisse, quarum omnium rerum testificationes proprij Parochi litteris confirmatas, deputatis examinatoribus exibeant, vnà cum attestatione de vita, & moribus, ac proximè suscepti ordinis, siuè tonsuræ testimonio, & tandem cum Chirographo Magistri scolæ, in qua educantur, vel alterius, quo institutore, in qualibet disciplina vtuntur, eos ad litterarum studia sedulò incumbere, ac non leuem in perdiscendo, profecturos, spem præbere.

Pro illis autem, qui ad maiorem aliquem ordinem promouendi erunt, præter singulas, paulo ante enumeratas testificationes, (quas Regulares item à suis Superioribus acceptas afferre debent) denunciationes in Parochiali Ecclesia aliquo die inter Missarum solemnia erunt habendæ, vt nominibus, ac desiderio illorum, qui promoueri cupiunt, pub'icè in Ecclesia propositis, de eorumdem vita, & moribus, cæterisque in Tridentina Synodo, desideratis, diligenter possit inquiri.

Promouendi ad sacros ordines, per mensem Nos adeant vel No-

strum generalem Vicarium, & pariter cum Parocho sint, vt suis nominibus, desiderio, & titulo, ad quem promoueri volunt, populo denunciatis, publiceq; in Ecclesia propositis, de ipsorum Natalibus, ætate, moribus, vita, & titulo à fide dignis, diligenter inquirant, cuius inquisitionis scriptum, à Parocho, testimonium ad Ordinarium deferant, alias nec ad examen, nec ad Ordines admittatur. In reliquis seruentur Decreta Cōcilij Tridētini

Promouendi ad Sacros ordines ad titulum Patrimonij non promoueantur, nisi adscribantur alicui Ecclesiæ, in casu illius necessitatis, iuxta formam Sacri Concilij Tridentini.

Patrimonium autem constituatur per instrumētum rogatum à publico Notario, & in Cancellaria Episcopali registratum, & quod contrahentes iurent, bona assignata pro patrimonio esse libera, & nemini obligata, seu hypothecata, & probene fratribus ordinandi (si quos habet) legitimam, seu aliam portionem ad victū sufficientem, remanere, & quod in dicto instrumento nulla interueniat fraus, vel dolus, defectio, fictio, aut illicita pactio: bona autem assignata sint talia, vt ex eorum fructibus, annuatim, viginti saltem scuta, ordinandus percipiat; super quo redditu duo testes idonei, de Nostra licentia examinentur, & promouendus dum accedit, ad ordines suscipiendos, verè, realiter, & pacifice dicta bona possideat, & ex eis fructus colligat; sciantq; quod semper secum ferant, dum ad examen accedunt, scriptum testimoniorum, quod se exercuerint in Ordinibus antè susceptis.

Sacro Subdiaconatus ordine nullus initietur, qui horas canonicas non benè recitare nouerit, idq; examinatores experiantur; item non facta prius generali confessione totius anteà actæ vitæ, ac exhibita attestatione denunciationum factarum in Parochiali die festo inter Missarum solemnia, ac testimonialis, similiter exhibita, de vita, & moribus, non admittantur, Nostro non præstito beneplacito, præsertim si fuerint elapsi quatuor Menses à die cōcessionis. Item seruetur in litteris dimissorialibus ad ordines quoscumq; illęq; non concedantur nisi examinatis, & à Vicario generali approbatis, iuxtà formam Sacri Concilij Tridentini.

Nullus audeat induere habitum clericalem sine licentia Nostra, sub pœna carceris, & alijs arbitrio Nostro.

Ordinatus quilibet adscribatur seruitio alicuius Ecclesiæ, & in Sacristia tabella retineatur affixa ad scriptorum. Cæterum ordinati,

& nõ adſcripti certę Eccleſię Cathed.ſeruitio adſcriptus itelligatur

Nec vlli adſcriptorum liceat à ſeruitio Eccleſiæ recedere ſine Noſtra, vel Vicarij generalis licentia, ſub pœna ſcutorum decem luenda in corpore ſi non habeat in ære; & ſuſpenſionis à diuinis nobis reſeruatæ.

Conueniant Feſtis diebus in Parochiali Eccleſia, & Parochum adiuuent in diuinis, & dum traduntur pueris, fidei rudimenta.

Pridie, quam ordinatio fiat, habeatur ſermo per Canonicum Theologum de vi, & præſtantia Sacrorum ordinum, cui adſiſtant omnes ordinandi, & ſermoni qui non interfuerint, non promoueantur pro illa vice.

Conſtitutiones Pij Secundi, & Sixti Quinti circà male promotos publicentur ſemel, ſaltem ſingulis annis per Parochum.

Non admittantur ad alios ordines, qui non docuerint ſe obijſſe functionem ordinis ſuſcepti in Eccleſia, cui fuerunt adſcripti.

De Sacramento Matrimonij. *Cap.* 22.

PRimum omnium in huius Sacramenti adminiſtratione Parochi nè minimum quidem à Concilij Tridentini ſalutaribus decretis vnguem diſcedant, & ea potiſsimum præſtent, quæ cap. 1. Seſſ. 24. de reformatione Matrimonij, nec non in Rituali Romano ſtatuta fuerunt; dumque Populos monent ad reuelandum impedimenta, deterreant, etiam nè falſa prò veris afferentes, peccati vinculo ſe ſe velint innodare.

Eos, qui Doctrinæ Chriſtianæ prima elementa non didicerint, ignotos, aduenas coniuge orbatos, incertis vagantes ſedibus, aut denique ex aliena Diœceſi, ad Matrimonij Sacramentum recipi prohibemus, niſi de Noſtra licentia, & iuxtà formam Sacræ Congregationis Sanctæ Inquiſitionis, quæ forma, & ordo pro teſtibus interrogandis publicè in Cancellaria Epiſcopali aſſeruetur.

Caueant Parochi, nè extrà Eccleſiam ſponſos Matrimonijs iungant, omnemque adhibeant diligentiam, vt peccatorum confeſsione expiati, ſanctiſsima ſemper communione reficiantur, nec vltrà bimeſtre poſt denunciationes expletas, matrimonio interſint, niſi repetantur, dumque fiunt denunciationes, hortentur, nè alter, alterius domum frequentet, nè fortè ob impedimentum, aliamuè ob cauſam contingat, matrimonium nequaquam

quam perfici, ac mulierem innuptam, difficilius alium virum reperire.

Cæteros commorantes intrà Parochiæ fines, tamquam coniuges, non permittant Curatores animarum cohabitare, nisi cogniti sint, aut alias doceant de Matrimonio ritè celebrato.

Parochi non celebrent Matrimonium nisi de manè tantum, & in Ecclesia Parochiali tantum, factisque prius tribus denunciationibus ad formam Sac. Conc. Trid. in tribus diebus Festiuis, nisi super dictis denunciationibus fuerit a Nobis dispensatum iuxtà, ac legitima de causa, seù quod postponatur, sub pœnis grauibus Parocho.

Parochi non audeant dispensare super denunciationibus vllis, nec celebretur Matrimonium ipso die vltimæ denunciationis, nisi de Nostra licentia scripto tradita, neque faciant fidem alicuius denunciationis per eos factæ, nisi omnibus absolutis, sub pœnis grauibus arbitrarijs.

Denunciationes nisi consensu sponsi, & sponsę prius habito non fiant.

Scientes impedimenta, & non reuelantes post factas publicationes, incurrant excomunicationem, & reuelato impedimento, etiam per vnicum testem, siuè verùm, siuè falsum, Parochi abstineant à celebratione Matrimonij, & id nobis quam primum significent, vt prouideri possit.

Sponsus antè Matrimonium contractum per verba de præsenti iuxtà formam Conc. Trid. non audeat cum sponsa conuersari, nisi semel tantum, & tunc præsentibus parentibus dictæ sponsæ, etiam si sint factæ tres denunciationes in Ecclesia, sub pœna scutorum vigintiquinque prò qualibet vice, ac excomunicationis eo ipso.

Parochus celebret Matrimonium per se ipsum, nisi sit legitimè impeditus, & tunc celebret per suum coadiutorem, vel per alium Sacerdotem à Nobis approbatum ad sacramenta ministranda, facta mentione in Libro de tali approbatione, & licentia.

Si Sponsus, & Sponsa, nullis factis denunciationibus, ausi fuerint inter se contrahere matrimonium præsente Parocho, sed dolosè adducto, vel adesse compulso, & non consentiente, incurrant pœnam scutorum centum erogandorum in pios vsus, & excomunicationis eo ipso.

Describat ipse met in Libro particulari etiam matrimonia celebrata per suum coadiutorem, vel alium Sacerdotem, vt suprà fa-

cta

cta mentione de licentia per ipsum eidem concessa celebrandi dicta Matrimonia.

Publicet semel in anno decretum Conc. Trid. de Matrimonijs clandestinis, & de ea publicatione tradatur Vicario Generali fides authenthica conseruanda in Archiuio.

Differentes suscipere benedictionem per mensem, post contractum Matrimonium à proprio Parocho, puniantur pœna graui arbitraria à Nobis, & debeat Parochus illico eos nobis significare.

Sponsalia de futuro non possint dissolui, nisi à generali Vicario, & tunc, causa benè cognita, & sponsis præsentibus, atque decreto per eum interposito.

Separatio coniugum, quò ad Thorum, nisi causa benè cognita, & legitima non concedatur per Vicarium generalem, & interim, imminente periculo, vxor reponatur in pio loco Nostro arbitrio.

De Parochis. Cap. 23.

PArochus librum habeat, in quo annis singulis describat nouum statum animarum sibi commissarum, cum nomine, & cognomine Patris, vxoris, filiorum, & aliorum inhabitantium in illa domo, exercitio, conditione, ætate, & patria, ac peritia rudimentorum fidei, & dicti status, authenticam copiam quolibet anno transmittat ad Vicarium generalem, qui statim mandet asseruari in Archiuio.

Quolibet anno post octauam Paschatis exibeat coram D. Vicario generali nomina eorum, qui non desumpserunt Sanctissimum Sacramentum Eucharistię in Paschate.

Item Librum Baptizatorum, alium Confirmatorum, alium Matrimoniorum, & alium Mortuorum, & Sepulturæ traditorum, in quibus describantur Baptismi, Matrimonia, confirmationes, & mortui iuxtà formam vnicuique capiti descriptam; Annus, dies & menses scribantur per extensum ad obuiandū fraudibus, ad exemplum Ritualis Romani.

Item habeat librum authenticum omnium bonorum immobilium suæ Ecclesiæ cum suis confinibus, adiacentijs, & mensuris; in quo sit etiam registrata copia authentica instrumentorum, acquisitorum, & solutionum, Canonum, seù fictorum perpetuorum, & iurium quorumcumque ad Ecclesiam spectantium cum rogitu publici Notarij.

Item

Item copiam authenticam dictorum Librorum, scilicet Baptizatorum, mortuorum, & matrimoniorum, ac confirmatorum, singulo triennio ad nos deferat, ad effectum assetuandi in Archiuio, prò vt assetuari mandamus.

Et omnes supradicti libri sint cartulati, & subscripti à Vicario generali sub rogitu publici Notarij, & tutè semper custodiantur à Parocho, ne subripi possint, vel falsificari ab aliquo.

Item consignet (ineunte Quadragesima) Nobis notam concubinariorum malè viuentium, & præsertim peccantium publicè.

Item notulam habeat Puellarum Orphanarum, Viduarum, & aliorum Pauperum Nobilium mendicare erubescentium, vel Puellarum in periculo existentium amittendi virginitatem, & ad nos deferat annis singulis.

Parochus publicet quot annis inter Missarum solemnia Constitutionem Pij V. circa venerationem dierum Festorum, & modestiam in Ecclesijs adhibendam.

Item aliam Pij V. circa Medicos inuisentes ægrotos non confessos post tertiam vicem.

Item eiusdem Pij V. Constitutionem contra blasphemos.

Item decretum Sac. Conc. Trid. vndecimum Seff. 22. de reformatione circa vsurpantes bona, iura, & fructus Ecclesiarum.

Item decretum contra non reuelantes tempore perempto legata pia.

Item decretum circa restitutionem incertorum sub pœna scutorum quinque applicandorum locis & vsibus pijs arbitrio &c. prò quilibet vice controuentionis cuius que scriptorum capitum.

Item Edictũ Quadragesimæ in Dominica Quinquagesimæ singulis annis.

Publicet etiam quot annis Bullam in Cœna Domini, & casus Episcopos reseruatos.

Dictatum publicationum faciendarum notulam retineat, & factas describat.

Parochus explanet diebus Dominicis, & Festis solemnibus Populo Sacrum Dei Euangelium, ac misteria solemnium festorum pro ouium capacitate; salutaria documenta tradat, eumque hortetur ad charitatem, pacem, & alia pia opera, inter Missarum solemnia.

Item in administratione sacramentorum, explicet eorum vim, & salutares effectus, vnà cum alijs rebus necessarijs pro salute, prò

intel-

intelligentia sumentium, & adstantium; illaq; piè, & deuotè ac cum charitate ministre, & cum debito ritu, & ceremonijs, nilq; exigat, aut recipiat directè, vel indirectè prò illorum administratione, nisi aliquid recipiat ex laudabili, & approbata consuetudine, nunquam tamen in actu ipso administrationis.

Item per se ipsum, & ieiunum (si fieri poterit) Sacramenta administret & animarum curam gerat, etiam si habeat Cappellanum approbatū, nisi fuerit legitimè, seù rationabiliter impeditus.

Item Sacramenta non administret arma ferentibus nec mulieribus caput velatum non habentibus, nec publicis peccatoribus, nisi constet de eorum vera, & certa emendatione.

Item claues Sacramentorum benè, decenter, & tutè custodiat, quæ claues vitiari nequeant.

Item caueat, ne eius culpa aliquis parochianus absq; Sacramentis è vita emigret præsertim si fuerit requisitus; & quod in Pixide vermes non generentur, sub pęnis Iuris, & alijs grauioribus.

Parochus diebus Dominicis post prandium, præuio sono Campanæ, & campanulæ per vicos, vt statuta hora tradat pueris, & puellis rudimenta fidei, iniungat parentibus, vt filios mittant domiq; doceant dicta rudimenta. Publicet Indulgentias, & vbi non erit instituta Sodalitas, quam primum curet institui, & erigi, vt supra dictum est.

Item se paratum in Ecclesia in sedibus confessionalibus exibeat ad confessiones audiēdas, præsertim à Dominica passionis, vsq; & per octauam totam Paschatis Resurrectionis, & alio tempore, diebus saltem festibus, & in eorum vigilijs. Idem faciat Pęnitentiarius in Ecclesia Cathedrali de Nostro Mandato.

Item Moribundo semper curet adsistere, eumq, ad patientiam hortetur, tentationes auertat, bonas cogitationes inferat, dolorem intimum, & fiduciam diuinæ misericordiæ inijciat, sæpè ipsum per confessionem peccatorum Deo reconciliet, & commendet: & legittimè impeditus per alium idoneum Sacerdotem prædicta prestari curet.

Item Missam celebret omnibus diebus Dominicis, & festis.

Parochus non audeat exorcizzare nec per se, nec per alium Sacerdotem etiam Regularem, sine licentia Nostra scripto exarata, sub pæna suspensionis à Diuinis eo ipso.

Non publicet Indulgentias quascumq; nisi prius per Nos visas, & probatas, & sine Nostra licentia in scriptis.

Non admittat quæstores Elemosinarum, præsertim publicantes Indulgentias, vel grana benedicta, vel immagines Sanctorū, siuè Munus-

cula

cula diſtribuentes, ſeù flagitiosè viuentes, neque pauperes per Eccleſiam.

Non locet bona ſuæ Eccleſiæ vltrà triennium, neque ſuis ſanguine iunctis.

Non receptet in AEdibus Eccleſiæ, & multò minus in ipſa Eccleſia contumaces Curiæ ſęcularis, etiam ſibi ſanguine iunctos, ſine licentia Noſtra ſcripta: ac confugientes ad Eccleſiam, vel eius ædes, ſtatim Nobis ſignificet, ſub pœna ſcutorum viginti quinque pro qualibet vice.

Item obſeruet alienigenas circà ſpectantia ad ſanctam, fidem, & an diſcrepent vita, & moribus à communi conuerſatione fidelium; vel imbuti ſint prauis opinionibus, ſeù abutatur verbis, ſacræ ſcripturæ, & an Mulieres habeant ſecum ſuſpectas.

Item, (vbi fieri poteſt) habeat Clericum ſaltem quindecim annorum inſignitum prima tonſura, indutum veſte talari, qui inſeruiens Miſsis, diuiniſque officijs, vtatur ſuperpelliceo, eumque erudiat.

Item reſideat perpetuò in ſuis ędibus Parochialibus.

Nec poſsit vltrà triduum abeſſe à ſua Parochia abſque Noſtra licentia. Et quotieſcumq; abſit, Curam animarum Commendet alicui alij Parocho, ſiuè Sacerdoti ad Curam animarum approbato, non autem ſimplici Confeſſario.

Caueat item, ne det licentiam adminiſtrandi Sacramenta alijs Pręsbiteris, qui non ſint approbati ad Curam animarum.

Item ipſe ſolus domos aſpergat, ſeù luſtret aqua benedicta, & oua benedicat in Paſchate, & ad recipienda olea ſancta, tranſmittat Clericos Sacris inſignitos tantum.

Item pulſari faciat Campanam ad Angelicam ſalutationem ſummo manè, meridie, in Solis occaſu, & poſt primam horam noctis pro defunctis.

Item puerpera poſt partum è domo exiens, Deo de ſuſcepta prole, gratias actura, benedicique volens, & oblationem faciens, ſuſcipiat benedictionem à proprio Parocho tantum, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, quò ad ipſam puerperam, & ſuſpenſionis à diuinis, reſpectu aliorum benedicere audentium.

De Archiuio. Cap. 24.

ARchiuium fiat in Ecclesia Cathedrali, & in quolibet Monasterio & pio loco Nobis subiecto, quod duabus clauibus occludatur, quarum vna sit pęnes Nos vel Nostrum Vicarium generalem, altera pęnes Capitulum, & in eo omnes scripturæ spectantes ad Ecclesias, & alijs locis, distinctè asseruentur.

Inuentarium publicum in forma probanti intra spatium sex Mensium, edictis etiam interim propositis, citatis citandis, & interesse habentibus, ac seruatis seruandis, omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, Iurium, actionum, annuorum censuum, siuè reddituum, nominum debitorum, & aliorũ quorumcumq; ad eorum Ecclesiam, Missas, beneficia, in quo locorum, & fines, conditiones capacitatem, qualitates, ordinatè, & distinctè, colonum Nomina, cognomina, arbores, vites, plantas in eis existentes singillatim describantur per publicum, & legalem Notarium.

Quod Inuentarium publicum in Archiuio generali reponatur, exẽplum simplex retineatur per Parochos in Libro registrandum.

Eaque Inuentaria in ipso Archiuio generali, & peculiari loco reponantur.

De Vita, & Honestate Clericorum Cap. 25.

PRæsbiteri, & Clerici omnes, cum in Dei militia adscripti sint, & in sortem Domini vocati, ad eiusdem labores, & sollicitudines vocati sunt, non ad commoditates, & voluptates; ideoque omnes, & singuli diligentissimè cauere debent, nè à certa viuendi via, & ab officij sui ratione deflectant, ne leuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima sunt, committant, sed sanctæ humilitatis, & virtutum omnium exempla præbeant; nihil enim est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum asiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt, vt eis possit dici, bonus odor Christi sunt.

Sacerdotes, qui ad sacrum faciendum ratione beneficij non tenentur, ex præscripto tamen Conc. Trid. non omittant, Parochique omnes, eiusq; coadiutores, Rectores, & Capellani in diebus festis non relinquant proprias Ecclesias, vt ad vicina loca, & oppida se conferant ad festa celebranda, sub pœna duorum

aureorũ prò qualibet vice, si absque Nostra licentia, seù Nostri Vicarij generalis hoc faciant.

Qui ad Præsbiteratus ordinem promoti non sunt, singulis saltem mensibus sacram Communionem sumant.

Clerici in minoribus constituti, si beneficium non obtineant, ni habitu, & tonsura incedant, Ecclesiæque inseruiant, & adscripti sint, si fori priuilegio, immunitateque Ecclesiastica gaudere intendunt, aut in Seminario, vel in aliqua Schola, seù vniuersitate de Nostra licentia versentur.

Ac propterea omnes tam in sacris, quàm in minoribus constituti ordinibus, clericalibus, decentibusque vestibus induantur, non sericis, sed laneis, & talaribus, ac ordini congruis, quæ sint nigri coloris, tam in domò, quam extrà domum, nec deferant Chirothecas in Ecclesijs, & Processionibus; tonsura ornentur, nullum armorum genus gestare præsumant, nec scoppettum, vt dicunt, etiam sub prætextu honesti solatij ad ausum occisionem, vnquam deferant, sub aureorum vigintiquinque pœna; & ad effectum, vt non possint amplius concordari cum Birruarijs addimus pœnam Excommunicationis ipso factò incurrenda, Nobis reseruata.

Prò delatione autem pugionis, & armorum cuiuslibet alterius generis, eadem pœna plectantur, ipsaque arma semper amittant.

Noctu non vagentur, & si aliquando rationabilis vrgeat causa, non sinè clericalibus vestibus, ac lumine incedant, sub pœna in Edicto particulari contenta.

A venationibus clamorosis cum Canibus venaticis, & accipitribus, seù Falconibus omnino abstineant, sub pœna aureorum quatuor.

Aleis, taxillisque nec etiam priuatim ludant, aut ludentibus intersint, siuè in AEdibus suis ludere sinant sub pœnis aureorum sex.

In vijs publicis rotulam, aut casei orbem circum agere, siuè ligneos globos malleis pariter ligneis impellere, aut folle, siuè sphe-rula ludere non audeant, sub pœna aurei nummi.

Cum Mulieribus, quarum suspicio haberi potuit, nè versentur, & multò minus cohabitent: Ancillas autem nisi longæuas, & prouectioris ætatis, ac etiam de assensu Nostro obtinendo, ipsis interdicimus, qui secus fecerint seuerissimè prò modò culpæ punientur. Publicis Vniuersitatum comitijs, seù conuentibus non intersint, nec illarum negocia omnino pertractanda suscipiant.

Cauponas non frequentent nisi in itinere, & commessationes, atque conuiuia, potissimum publica, deuitare studeant, cum ex Diui Hieronymi testimonio contemnatur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat.

Nemo annulum gestet, cui non liceat ex officio, vel honoris gradu; nec etiam huiusmodi prætextu dum sacrum peragit, nisi amoueat annulos, pœnæ propositæ subiaceat.

Pro alijs non fide iubeant, præterquam in Curia Episcopali, nullius tutelam, curamuè gerant, nisi pietatis causa, & cum Nostro assensu.

Apud Iudices sæculares procurationem, vel patrocinium non suscipiant, nisi intuitu pietatis, vel ratione Ecclesiæ, aut in causa propria, neque coram ipsis testimonium dicant sinè licentia Nostra.

Aliena prædia, vel alios quoscumque redditus, seù fructus, neque etiam indirectè conducant. Mercaturas, & illicitas negotiationes non exerceant. Vinum, & Frumentum, & alia segetum genera non emant, vt carius vendant. Tabellionatus officio in prophanis negocijs non fungantur.

Doctrinæ Christianę exercitationem frequentent, & abstineant à Libris, quorum lectione morum disciplina, & charitas Dei potest languescere; sed legant sacros libros, & tractantes de spirituali vita, & profectu.

Deferant in Processionibus, & Congregationibus semper vestem talarem, superpelliceum, & biretum clericale, & dum defertur pileus, sit ornatus cordula sericea simplici.

Capillos ex omni parte præcidant, ità vt non sint in aliqua parte capitis reliquis longiores, & Sacerdos à Superiori labro barbam sic detonsam habeat, vt in sumptione Eucharistiæ, & sanguinis non sit impedimento.

Inseruiant Ecclesijs, quibus sunt adscripti diebus festis, & intersint Missæ solemni Vespertinis horis, sacrisq; côcionibus dictis diebus.

In omnibus tandem se se bonorum operum exemplare exhibeant, vitamque suam tam rectè componant, vt tantò cæteris in sanctitate præluceant, quanto in sublimiori gradu sunt positi.

Vt verò lectio sacrorum librorum, eorumq; præsertim, qui de spirituali vita tractant, quam Sancti Patres valde necessariam ad spiritus acquisitionem existimarunt, nullo modo omittatur, Ecclesiasticis omnibus præcipitur, vt infrascriptos saltem libros habeant.

Nota librorum, qui ab Ecclesiasticis personis retineri debent, & primo.

PAROCHI.

Summam Syluestrinam.
Manuale Nauarri.
Summam Toleti.
Possevinum de officio Curati.
Conciones Granatæ.
Opera eiusdem Spiritualia ex hispanica lingua in Italicam translata.
Rituale Romanum.

CANONICI.

Nauarrum de Horis Canonicis.
Opera Spiritualia Granatæ.
Pinellum de Sacramento Altaris.
Speculum exemplorum.

CLERICI.

Cathechismum Romanum.
Doctrinam Christianam Cardinalis Bellarmini.
Guida de peccatori.
Pinello del Sacramento dell'Altare.

Omnes vero libros, etiam alios habeant, pro sui status, & studiorum ratione,

De Processionibus. Cap. 26.

AD processiones generales ordinarias, & extraordinarias, tam à Sũmo Pontifice, quam à Nobis indictas teneantur accedere omnes Clerici cum suis vestibus talaribus, super pelliceis, & Biretis, & conueniant omnes hora præscripta in Cathedrali seù Parochiali. Regulares item ex Conc. Trid. præscripto, nec non, & Sodalitates, quæ hactenus conuenire consueuerunt cum peculiaribus earum Vexillis, & indumentis.

Nulla processio, quæ interdiù fieri consueuerit, habeatur à Parochis, neq; etiam a Regularibus ipsis extra eorum Ecclesias, & Claustra; multoq; minus à laicis confratibus absq; Nostra licentia, quæ noctis tempore, habeatur nunquam.

Non deferant in Processionibus linea simulacra, ac fictilia Sanctorum. Nobis, vel Vicario Nostro generali, inconsultis.

De Confraternitatibus. Cap. 27.

SOdalitates Confratrum non erigantur, etiam in Ecclesijs Regularium, nisi cum authoritate Apostolica, vel Nostra, scripto impetrata, pluresq; sub eodem titulo, & instituto, non erigantur in eodem loco.

Non aggregentur Confraternitatibus Vrbis, nisi constito de erectione facta per nos, & de Nostro speciali consensu iuxta Constitutionem Clementis Papæ Octaui.

Non vtantur Regulis, nisi prius à Nobis visis, & approbatis, & subscriptis.

Priores verò, & officiales sint annuales, nec confirmari possint, nisi iuxta Capitulorum dispositionem, ad quam in omnibus relatio habeatur.

In Oratorijs Sodalitatum non asseruetur Santissimum Eucharistiæ Sacramentum sinè licentia Papæ.

Non celebretur Missa diebus festis antè Missam Parochialem finitam, & in aliis diebus antè Auroram, vel post Meridiem.

Item non celebretur Missa feria quinta, & Sabbato hebdomadæ Sanctæ.

Item in eis non ministretur Sanctissimum Sacramẽtum à Dominica Palmarum, vsq; ad Dominicam in Albis inclusinè.

Item in eis non benedicantur rami Oliuarum, oua, & nouę fruges, vtì ad Parochi functionem tantum pertinentia.

Recitent Confratres Officium Beatæ Mariæ semper Virginis legendo, vel canendo, pro vt moris fuerit.

Non

Non obeat Processiones aliquas extra eorum Oratorium, nisi cum Nostra licentia, & tantum diebus, & horis a Nobis præscriptis, adhibito Rectore Capellano, seù alio Sacerdote à Nobis approbato, sub pæna interdicti ab ingressu Ecclesiæ quò ad Confratres, & Suspensionis à Diuinis, ad Sacerdotem concomitantem eos: & in processionibus publicis non deferant Crucem, sed tantum imaginem alicuius Sancti, vel eorum propria Insignia.

Item in eorum Oratorijs nón habeatur processio Sanctissimi Sacramenti, nec Oratio quadraginta, vel duodecim horarum, Nobis in consultis, & tunc semper cum adsistentia alicuius Sacerdotis a Nobis deputandi, & duorum saltem Confratrum Saccis indutorum.

Pia loca quocumq; nomine nuncupata Nobis subiecta nullo modo possint agnoscere legata, quibus annexa sunt aliqua onera, sine Nostra, seù Vicarij Nostri licentia.

Non audeat eleemosinas queritare, etiam si sint sodalitates erectæ in Ecclesijs Regularium, nec Capsulas exponere sinè Nostra licentia scripto exarata, quæ non concedetur, nisi actu hospitalitatem seruent, vel prò reparatione, seù fabrica suæ Ecclesiæ, & in casu licentiæ Capsulæ dictarum eleemosinarum, eadem sit munita duabus clauibus diuersis, quarum vna retineatur a Camerario, & altera per Priorem Confraternitatis.

Pecuniæ ex dictis Capsulis non extrahantur, nisi præsentibus dicto Camerario, & Priore, & statim extractæ, notentur in libro particulari, cum subscriptione eorumdem, & erogentur tantum in vsum Confraternitatis.

Conficiant librum, in quo clarè, & distinctè describantur data, & recepta, cum anno, mense, & die, personis, & causa.

Item alterum librum, in quo conscribantur vniuersa bona immobilia Sodalitatis, quæ relicta sunt cum aliquo onere adimplendo cum dimensionibus, confinibus titulis, adiecto Notario, & tempore. Et dictorum bonorum Inuentarium Vicario generali tradatur, asseruandum in Archiuio Episcopali; & alterum in Archiuio Confraternitatis.

De Hoſpitalibus. Cap. 28.

HOſpitalarius, ſeù adminiſtrator hoſpitalis ſit bonæ conditionis, & famæ, & eius mores, fides, pietas, & charitas ſit commendata prò boni viri teſtimonio, & eligatur iuxtà formam Conſtitutionum eorum.

Conſignetur eidem omnia mobilia hoſpitalis per inuentarium ſub rogitu Notarij, in quo deſcribantur dicta bona diſtinctè, & clarè, & caueant idoneè idem hoſpitalarius, & adminiſtrator de ea conſignando integrè, & fideliter in fine ſui officij, iuxtà diſpoſitionem Conſtitutionum.

In quolibet hoſpitali, in quo febricitantes, & languentes recipi ſolent, mares, ſemper à fœminis ſeiunctis, in alia manſione retineantur.

Curet hoſpitalarius, vt quam primum eorum peccata Parocho cõfiteantur, & etiam ſacra Communione reficiantur.

Quotidie veſperè antè Immaginem Beatiſsimæ Virginis lampade accenſa, recitentur eius Litaniæ, quæ recitari ſolent in Templo B. ſemper Virginis, Mariæ Lauretanæ, & orent etiam pro benefactoribus.

De Blaſphemia. Cap. 29.

QVi blaſphemias, quæ hæreſim ſapiant, protulerint, cum eis, tamquam de hæreſi ſuſpectis, ex decretorum Apoſtolicorum præſcripto, agetur.

Qui verò verba turpia, ſeù ſcandaloſa, pænis in Conſtitutione Pij Quinti ſuper hoc ædita, & alijs à Nobis ſubijcientur.

Qui audierint proferentes blaſphemias hæreticales in Deum, eiuſq; Sanctos, & præcipuè in Beatam Virginem Mariam, eoſdemq; non denunciauerint, in Excomunicationem incident, à qua nõ poſſunt abſolui niſi ab Eminentiſsimis ſupremis Inquiſitoribus in Vrbe.

Parochi Populum hortentur ad tam deteſtabile ſcelus euitandum, pęnaſq; Pontificiarum Conſtitutionum proponant; & vulgari idiomate explicent eaſdem quater ſaltem in anno, videlicet In Epiphania, infrà Octauas Reſurrectionis, & Pentecoſtes, & in feſto omnium Sanctorum, ſub pæna duorum aureorum.

De Bonorum, & iurium Ecclesiasticorum Conservatione. Cap. 30.

CLerici omnes, & singuli quæuis bona Ecclesiastica obtinentes, nec non Cathedralis Canonici, seù eorum Sindaci, & Procuratores, ac tandem Monasteriorum Monialium, & quorumlibet piorum locorum Nobis subiectorum administratores, vel gubernatores, intrà tres Menses à die promulgationis horum Decretorum, omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, Iurium, & actionum, annuorum censuum, siuè redditaum, Nominumque debitorum, & aliarum quarumlibet rerum ad illorum Ecclesias, & Canonicatus, Capellas, Monasteria, Hospitalia, & quælibet alia loca pia, ipsorum gubernationi, seù administrationi commissa, pertinentium; Inuentarium authenticè descriptum, vt Catastrum confici posit, ritè curent, in quo bonorum prædictorum singulæ qualitates, & præsertim immobilium fines sigillatim, & distinctè explicentur. Huiusmodi autem inuentariorũ transumpta duo fiant, quorum vnus Rectores, aut Sanctesij (vbi id moris est) vel cæteri administratores pœnes se retineant; alterum in Archiuio Episcopali seruetur.

Et si aliquis Canon, siuè Census in singulo anno exigendus existat, diligentias adhibeant, vt authenticis documentis constet, cuius fundi, vineæ, prati, nemoris, vel aliorum agrorum, siuè etiam Apothecæ, Domus, & quarumlibet ædium nomine exsoluatur, quouè titulo exigatur, cum specifica descriptione finium rerum prædictarum, vnà cum nominibus tum eorum, à quibus posidentur, tum Notariorum, à quibus instrumenta stipulata fuerint, cum declaratione (si fieri potest) an huiusmodi res in Emphiteusim datæ sint, siuè censibus obnoxiæ.

Et quoniam lapsu temporis; prædiorum, siuè aliorum bonorum termini, & vocabula mutantur, aut delentur, Mandamus, vt omnium, & quarumcumque rerum Ecclesiasticarum immobilium, siuè ab ipsis Ecclesijs, & pijs locis possessarum, siuè concessarum, in Emphiteusim, vel alias quomodolibet locatarum, vocabula, & termini antiqui, & recentiores, vnà cum nominibus illorum, à quibus detinentur, seù posidentur, in publicis tabulis exhibeantur, & declarentur, nec non de decennio in decennium per acta publici Notarij, vocatis illis, quorum interest, renouentur.

Caueant Rectores, siuè administratores prædicti, Ecclesiastica bona consanguineis, vel Affinibus suis, neque etiam ad breue tempus, nè vllo modo locent, neque ipsi per se, vel per interpositam personarum vllatenus conducant.

Neque pariter in extraneos alienent, vel ijsdem locent vltrà triennium, non seruata forma extrauangantis Pauli secundi.

Et nè Colonis agrorum, ex diurna detentione, ius aliquod acquiratur, Syngraphas, cautionesque cum ipsis reintegrare singulis triennijs non omittant.

Vt saltem timore pœnæ, quæ contra bonorum Ecclesiasticorum vsurpatores à Sacris Canonibus, nouissimeque à Tridentina Synodo grauissimè sancita, est, cuncti deterreantur; Parochi, saltem ter in anno, & præsertim Dominica secunda, vel tertia Aduentus, Dominica Passionis, & in die Ascensionis Domini infrà Missarum solennia, eiusdem Concilij Decretum cap. vltimo Sess. 22 de reformatione, vulgari sermone expositum, promulgent.

Ecclesiarum bona nō possint administrari à Laicis absque legitima facultate Nobis ostendenda infrà decem dies, à die publicationis huius decreti: sub pœna excommunicationis eo ipso incurrenda Nobis reseruata.

Rectores, atque administratores bonorum Ecclesiasticorum nullas arbores frugiferas cedant, licet arescere videantur, absque Nostra facultate, sub pœna trium aureorū pro qualibet, vltra damni reparationem; sed neque infructuosis, cediquc solitis incisionem inferre præsumant sinè Vicarij generalis scripta licentia, & Sanctesiorum, vel Rectorum notitia, alioquin graui pœna multentur. Concessio verò, aut Chirographum, qui eodem vsi sunt, conseruent, atque ipsius exemplum Vicarius in peculiaribus registris pœnes se retineat in Visitationibus recognoscenda, vt iudicari queat, an tamquam boni patres Familias, tempus præuenerint, vel congruè incisionis modum prætermiserint.

Cæteri autem omnes, & singuli, qui ante dictas arbores cuiuscumque generis incidere non verebuntur, & damno resarciendo erunt obnoxij, & quo ad superius impositas pœnas in duplum ibunt.

Quo verò ad arbores fructiferas, seruentur Bullæ imponentes excomunicationis pœnam.

Contractus rerum Ecclesiasticarum non rogentur, nisi per Notarium & Cancellarium Episcopalem, qui teneatur, copiam in Cancellaria Episcopali relinquere in libro ad hunc effectum retinendo, sub pœna vnius auri.

Loca

Loca pia Nobis subiecta singulis annis antè finem Iunij exhibeant coram Vicario Notulam pecuniarum sibi debitarum, seù pro fructibus censuum, seù prò alijs causis, vt sequestra relaxari possint, reuideri, & solidari possint computa, & administrationes. Nullam litem moueant absque licentia Nostra.

De Decimis. Cap. 31.

NE diuinum præceptum de Decimis soluendis negligatur, præcipimus, & mandamus omnibus, ad quos Decimarum solutio spectat, vt illas integrè tempore messis persoluant Rectoribus, seù Ministris Ecclesiarum, quibus debentur, iuxta antiquum vsum, & immemorabilem consuetudinem, quæ viget in hac Diœcesi, ac expressam declarationem super ea factam à fel. record. Spinello Bencio prædecessore Nostro; quæ vt facilius à Parochis exigantur, prohibemus, nè frumentum ab areis, tam à Dominis, quam à Colonis asportetur in horrea, seù domos, antequam Decima consueta sit integrè persoluta, seù saltem, a reliqua frumẽti quantitate, segregata, Parochi, cui prouenit, dispositioni seruanda; sub pæna vnius aurei.

Nè autem per alienationem prædiorum ex vnius in alterius dominium transeuntium, Ecclesijs præiudicium inferatur, aut decimę prædiales minuantur; præcipimus, & mãdamus, vt in casu alienationis cuiuscumq; petij terrarum, quantulacumq; illa sit, sẽper transeat cum onere suo, quò ad solutionem decimæ prædialis; ita vt pro parte colonica semper decima, prò rata terrarum, persoluatur illi Parochiæ in qua singulæ terræ sitæ sunt, per Colonos, & per Dominos, seù nouos possessores illi Parochię, a qua percipiunt Sacramenta, pro rata terrarum, quas acquisierunt: non obstantibus, quæ disponuntur in dicta declaratione prædicti Spinelli, quod prò minore quantitate, quàm sex stariorum terræ, non cogi possint ad solutionem decimæ prædialis, id enim in petijs terrarum, quæ cum Maiori quantitate essent adnexæ, in minori quantitate alienantur, locum habere nolumus, ne per huiusmodi venditionem, Ecclesiarum prouentus, & decimæ minuantur.

De Foro competenti. Cap. 32.

ECclesiastici omnes tam Seculares, quam Regulares, cuiuscumq; ordinis, gradus, & dignitatis prò suis causis ciuilibus nullo modo comparere possint coram Iudice Laico, sine Nostra vel Vicarij Nostri licentia scripta; iuxta Constitutionem æditam in Concilio Prouinciali Florentiæ, à Nobis receptã, obseruatam,& intimatam; confirmatamq; à fæl. record. Leone X. sua particulari Constitutione, sub pæna in eadem Constitutione contenta.

De Capitulo, & Canonicis, Cap. 33.

INherentes Constitutionibus Capitularibus auctoritate Apostolica à Marcello II. Ceruino Politiano Summo Pontifice, dum Cardinalatus dignitate fungeretur, confectis; & ab Eminentiss.mo Cardinali Bellarmino Politiano, eadem auctoritate Apost.reformatis: illas omnino obseruari præcipimus, non modò sub pęnis ab eisdem Constitutionibus inflictis, sed etiam, ad maiorem illarum obseruantiam, alijs, arbitrio Nostro, infligendis. Mandantes ad effectum prædictum illas imprimi quamprimum iuxta Nostri, & Capituli Decretum.

Dignitates, Canonici, atq; omnes illi, qui quomodolibet ad Chori seruitium tenētur, cum propter Cappellanorũ choralium paucitatem, & hebdomadarum diuisionem, Cantus plani, seù firmi peritiam habere debeant, ne ab ipsis tacite Ecclesia seruitio debito defraudetur: Mandamus in posterum, vt nullùs Canonicorum, Dignitatum, & Cappellanorum admittatur ad perceptionem Distributionum, nisi sit ea cantus scientia peritus, quæ necessariò requiritur ad suæ obligationis satisfactionem.

De Regularibus. Cap. 34.

VT in hac Diæcesi Nostra Ecclesiasticarum Personarum concordiæ ni quantum possumus consulamus; & Dei seruitium pacificè, Regularibus, coadiutoribus, dirigatur, aliqua, in quibus ordinariæ iurisdictioni subiacent Regulares, & in eos Episcopi superioritatem habent ex Decretis Sacri Conc. Trid. Sacrorum Canonum, & Summ. Pont. Constit. hic annotare disposuimus

1 In hac Ciuitate, & Diœcesi, cum Regulares omnes non elegerint infrà tempus præfixum à Constitutione Conseruatorem; certum est illos in Ciuilibus Nullum alium habere iudicem Ordinarium quam Episcopum, & eius Vicarium.

2 Regulares non possunt publicare Indulgentias, nisi prius à Nobis, vel Vicario Nostro, adhibitis etiam duobus de Capitulo præuideantur, examinentur, & approbentur, cuius approbationis licentiam in scriptis, & gratis concedi volumus, & mandamus.

3 Regulares intrà Claustra degentes, & extrà ità notorie delinquentes, vt populo scandalo sint; instante Episcopo, à suis Superioribus infrà tempus ab eo præfigendum seuerè sunt puniendi, & de pũitione Episcopus certiorari debet. Quod si Superior in hoc sit negligens, à Superiore maiore officio priuatur. Et si in Regularem delinquentem non animaduerterit, sed ad alia loca suorum ordinum, extra Episcopi Diœcesim transmiserit, & ipsum delinquentem à loco ad quem trasmissus fuerit, reuocare distulerit infrà terminum ab Episcopo præfixum, priuatur dignitatibus, & officijs obtentis &c. & inhabilis declaratur ad illa, & alia in posterum obtinenda; nec habilitatur nisi à Summo Pontifice:& nihilominus delinquens ab Ordinario loci, in quo degit requisito, vel aliàs informato, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato seuere punitur.

4 Regulares item à suis Conuentibus recedere non possunt, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, vel vocati, sinè licentia in scriptis: sinè quà si inuenti fuerint, ab Ordinarijs locorum, tamquam desertores sui instituti puniuntur.

5 Non licet Regularibus, etiam in eorum proprijs Ecclesijs Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario, exponere.

6 Episcopus potest extrà suam Cathedralem in omnibus Ecclesijs,

sijs, etiam exemptis infrà fines suæ Diœcesis celebrare cum assistentia suorum Canonicorum, & cum illis habere circulos: & tunc tenentur etiam ei erigere Baldachinum &c.

7 Ex Constitutionibus Sum. Pont. & S. Congr. declaratione non possunt Regulares in Ecclesijs suorum ordinum prædicare, nisi priusse præsentent ordinario, & petant, & recipiant ab eo benedictionem. In Ecclesijs verò non suorum Ordinum, petita, & obtenta licentia in scriptis; etiam extrà tempus Quadragesimæ, & Aduentus. Contradicente verò Episcopo, nullo modo prædicare possunt, nec Episcopus tenetur causam exprimere. Contrafacientes, pænis à Nobis arbitrarijs imponendis sunt obnoxij.

8 Si verò, quod absit contingat Prædicatores etiam Regulares, etiam, in Ecclesia sui Ordinis prædicando scandala in populum disseminare, Episcopus eis prædicationem interdicere potest, & contra eos tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedere.

9 Regulares tenentur etiam accedere, & compelluntur ad publicas omnes Procesſiones ab Episcopo indictas, vel ex causa indicendas, & ex consuetudine huius nostræ Diæcesis, associãdo Crucem Ecclesia Cathedralis, & reducendo ad eandem Ecclesiam: quod Nos obseruari præcipimus, & Mandamus sub pęna duorũ aureorum pro qualibet vice.

10 Controuersias etiã omnes, quæ per sæpe, maximè cũ scandalo oriuntur inter seculares, & Regulares personas de præcedẽtia, cũ in dictis procesſionibus, tũ in tumulãdis defũctorũ corporibus, in deferẽda Vmbella, ac alijs similibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumq; cõponit. Regulares item nullam posſint facere Procesſionem extrà septa, vel fines suorum Monasteriorum, sinè Episcopi licentia, nec soli incedere per Ciuitatem. Magna enim pars peccatorum tollitur, si testis asſistit, ad quem effectum solent Ordinarij concedere, ad instantiam Superiorum Conuentuum, nonnullis licentiam scriptam prò necesſitate eorumdem Monasteriorum.

11 Et vt debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, Regulares, & etiam Sæculares Clerici, etiam super hoc Apostolicæ Sædis priuilegio muniti, die Sabathi maioris hebdomadæ, antequam campana Cathedralis Ecclesiæ pulsetur, Campanas in Ecclesijs suis pulsare minimè posſunt; & contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrunt.

12 Si

11 Si hæreses prædicent Regulares, vel extrà Monasterium degentes delinquant, ab Ordinarijs locorum, tamquam super hoc à Sede Apostolica delegatis secundum canonicas sanctiones visitantur, puniuntur & corriguntur. Neque sub quouis prætextu prædicationis, lectionis &c. seù Priuilegij, sine Superioris licentia possint se subijcere obsequio alicuius Prælati, Principis, Communitatis &c. alioquin tamquam inobedientes puniuntur à suis Superioribus, & Ordinarij negligentiam eorumdem supplent.

13 Pro ordinibus suspiciendis Episcopum loci adire debent, à quo examinantur, & approbantur. Nec aliò setransferant sinè eiusdem Ordinarij fide Episcopum sacras ordinationes non habere.

14 Non accedunt Regulares ad Crates Monasteriorum, & ad colloquendum cum Monialibus sibi in primo vel secundo consanguinitatis gradu coniunctis, nisi licentia ab Ordinario in scriptis obtenta, quam concedit quando sibi visum fuerit in Domino expedire, per quatuor vices quolibet anno, & tunc seruata ad vnguem forma infrascripta. Videlicet.

Vt id nullo modo liceat diebus festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima, feria sexta, Sabato, & Vigilijs: prædictaq; licentia ab Ordinario, seù alio, ad quem spectat eam concedere, consignetur Confessario ordinario Monasterij, qui pœnesse retinere debet, isque associet, & præsens sit, & Auscultatrices de more, non enim aliæ assistant. Prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in scriptis concedatur, & in Libris Cancellariæ annotetur. Quod si prædd. locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter, quam seruata forma prædicta, licentias concesserint, vel permiserint, sciant Sanctiss. D. N. & Sac. Congr. transgressores iudiciumq; reformident. Regulares autem pœnis in Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, ipso se nouerint esse addictos, & arbitrio etiam, Sac. Congregationis seuerius puniendos. Pœnę pro Regularibus sunt, Priuationis officiorũ. Vocis actiuæ, & passiuę ipso facto incurrēdę, aliæque arbitrariæ, à quibus rehabilitari non possunt, aut absolui nisi à Sede Apostolica, vel à Sacra Congregatione.

15 Vocati vero ab infirmis, possunt quidem illos audire, sed debent docere proprium Curatum, verbo, vel scripto de Sacramento illis administrato.

16 A casibus reseruatis Nobis, etiam pretextu priuilegiorum &c. absoluere non possunt, sub pæna excomunicationis, priuationis officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum, inhabilitatis in posterum, ipso

facto

facto, & absq; vlla alia declaratione, reseruata Summo Pontifici, preterquam in Mortis articulo. Quo casu tenentur pænitentibus suadere, si conualuerint, vt ad superiores, & legitimos Iudices pro absolutionis beneficio accedant.

17 Mandante etiam Episcopo, tenentur Regulares in suis Ecclesijs publicare, & seruare censuras, & Interdicta, nedum à Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinarijs promulgata: & vlterius obseruare festa, quæ in sua Diæcesi Episcopus seruanda præceperit.

18 Sciendum est etiam, Regulares, circa ea, in quibus subduntur Ordinarijs, vel ab illis compelli possunt vigore Concilij, posse excomunicari, suspendi, & interdici. Si quidem Concilium mandat obseruari omnia Decreta de Regularibus, non obstantibus priuilegijs &c. & deputat exequutores Episcopos. Cum Ergo nulla sit habenda ratio priuilegiornm, nec restringatur modus compellendi, remittitur arbitrio Episcopi.

19 Regulares denique Curam animarum habentes, in ijs, quæ ad dictam animarum Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, immediatè visitationi, iurisdictioni, & correctioni Episcoporum subesse certum est. nec ibi aliqui etiam ad nutum amouibiles deputari possunt, nisi de Ordinariorum consensu, & præuio examine per eum, & examinatores Synodales faciendo. Et Pius V. in sua constitutione voluit, vt in omnibus Ecclesijs Parochialibus, in quibus Cura animarum exercetur; habeant Ordinarij facultatem eius Ecclesias, & personas, visitandi, corrigendi &c. De quibus, & circa Sanctimonialium Monasteria, & prædicationem verbi Dei, extat Constitutio S. D. N. Gregorij XV. quæ omnino est videnda, edita Nonis Februarij 1622. ad quam &c.

20 Insuper Notandum, quod Ordinarius aliquando impedit Mendicantes, querentes per Ciuitatem Eleemosinas superfluas, eo quod Mendicantes sinè necessitate grauiter delinquant, cum panem verè egentibus auferant.

Exa-

Examinatores Synodales.

Adm. R. D. Accursius Taurusius Archipresb.
Adm. R. D. Ioann. Baptista Contuccius Præpositus.
Adm. R. D. Cęsar Braccius Archidiaconus.
Adm. R. D. Bartholomęus Maffeus Canonicus.
Adm. R. D. Hieronymus Rughesius Canonicus
Adm. R. D. Franciscus Paganuccius Canonicus.
Adm. R. D. Petrus Buccellius Canonicus.
Adm. R. D. Lelius Mancinius Canon. Honorarius.
A. Reu. D. Antonius Dyonisius Curator S. Mustiolæ in Ciuitate.
Adm. R. P. Alexander Cesarinus Rector Collegij Soc. Iesu in Ciuitate.

Iudices Synodales ad causas delegatas.

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus Politianus.
Adm. R. D. Accursius qui supra.
Adm. R. D. Ioann. Baptista qui supra.
Adm. R. D. Cęsar &c.
Adm. R. D. Bartholomęus &c.
Adm. R. D. Franciscus &c.
Adm. R. D. Petrus &c.

Promotor Fiscalis.

R. Ioannes Baptista Pugliesius.

Deputati ad experiendos Sacerdotes Initiatos an probè calleant Caeremonias Missæ.

Adm. R. D. Hadrianus Botticellius Canonicus.
Adm. R. D. Hieronymus Rughesius Canonicus.

Reuisores Computorum locorum piorum Nobis subiectorum.

Adm. R. D. Hieronymus Rughesius Canonicus.
Adm. R. D. Franciscus Paganuccius Canonicus.
Adm. R. D. Ioseph Donatus Canonicus.

Testes Synodales in Ciuitate.

Adm. R. D. Ioseph Donatus. Canonicus.
Adm. R. D. Hieronymus Campanus Canonicus.
Adm. R. D. Michael Cocconius Canonicus.
Adm R. D. Marcellus Auignonensis Canonicus.
Adm. R. D. Lelius Taurusius Canonicus.
R. D. Annibal Egidius Canon. Honorarius.
R. D. Carolus Papius.

Extrà Ciuitatem.

R. Hyacintus Parrius Plebanus Valiani.

R. D. Ioannes Baptista Egidius Plebanus Craccia-
ni Veteris.

R. Christophorus Viscontius Rector Ecclesiæ Sancti
. . . . Ascianelli.

R. Octauianus Nerius Rector Ecclesiæ Sancti Petri
Villæ Abbatiæ.

R. Hadrianus Galesrius Rector Ecclesiæ Sancti Vi-
ctorini Aquçuiuæ.

Promotores Doctrinæ Christianæ, & Visitatores Locorum in Ciuitate, & Diœcesi in quibus edocetur.

Adm. R. D. Ioannes Baptista Contuccius Præpositus.
Adm. R. D. Franciscus Paganuccius Canonicus.
Franciscus Minatus.
Clerici omnes Nostri Seminarij.

Deputati ad Cathecumenos instruendos.

Adm. R. D. Hieronymus Rughesius Canonicus.
Adm. R. D. Petrus Buccellius Canonicus.

Deputati super Seminarium.

Adm. R. D. Accursius Taurusius Archipresb.
Adm. R. D. Franciscus Paganuccius Canonicus.

Depositarij Cameræ Episcopalis.

Adm. R. D. Ioseph Donatus Canonicus.
R. Michael Angelus Messinus.

Nomina eorum, qui Diœcesanæ Synodo Politianæ interesse debebunt.

Illustriss. & Reuerendiss. Dominus Talentus de Talentis Episcopus.
Adm. R. D. Accursius Taurusius I. V. D. Archipresb.
Adm. R. D. Ioann. Baptista Contuccius I. V. D. Præpositus.
Adm. R. D. Cesar Braccius I. V. D. Prothonotarius Apostolicus, Archidiaconus, & Vicarius generalis.
Adm. R. D. Bartholomęus Maffeus I. V. D. Prothonotarius Apostolicus, Canonicus.
Adm. R. D. Hieronymus Rughesius Canonicus Pænitentiarius
Adm. R. D. Adrianus Botticellus Canonicus.
Adm. R. D. Franciscus Paganuccius Canonicus I. V. D.
Adm. R. D. Ioseph Donatus Canonicus.
Adm. R. D. Michael Cocconius Canonicus.
Adm. R. D. Hieronymus Campanus Canonicus.
Adm. R. D. Buccellus Canonicus.
Adm. R. D. Marcellus Auignonensis Canonicus.
Adm. R. D. Lelius Taurusius Canonicus.
Adm. R. D. Bernardinus Taurusius Canonicus.
Reuerendus Presbiter Didacus Neruccinus Sacrista, & Curatus Ecclesiæ Cathedralis.
Reuer. Presbiter Thomas Bartolinus Cappellanus Choralis.
Reuerendus. Presbiter Michael Angelus Messinus Cappellanus Choralis.
Reuer. Presbiter Stephanus Botticellius Cappell. Choralis.
Reuerendus Presbiter Antonius Dionisius Curatus S. Mustiolæ in Ciuitate.
Reuerendus Pater Frater Philippus Draconius à Luciniano Ordinis Seruorum B. M. V. Curatus S. Bartholomęi in Ciuitate.

Reuerendus

Diaconi.

Marcellus Taurusius.
Ioannes Alessius.

Subdiaconi.

Franciscus Brancatius.
Gabriel.

Seminaristi.

Franciscus Miniatus.
Dominicus Merendius.
Ioannes Iacobus Casaccinus.
Sebastianus Nerius.
Christophorus Burlinius.
Iacintus Merendius.

Clerici.

INDEX CAPITVLORVM

Quæ in hoc volumine continentur.

Mei

